Izprave XV. vieka iz „crvene knjige“ zagrebačkoga kaptola.

Predao u sjednici filologičko-historičkoga razreda jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti dne 22. lipnja 1878. god.

DOP. ČLAN IVAN TKALČIĆ.

Prije nekoliko godinah našao sam u kaptolskom arkivu medju neuredjenimi spisi više listovah pisanih in folio iz XVI. vieka, na kojih opazih odmah, da su iztrgnuti iz poveće knjige. Na ovih listovih ubilježeni su inventari pojedinih prebendah i oltarah stolne crkve zagrebačke, za tim neki ugovori izmedju kaptola i sbora prebendarskoga glede bogoslužja u istoj crkvi, napokon i neke misne zakladnice.

I na ugovorih i na misnih zakladnicah, koji su jedni i drugi podkriepljeni lektorovim podpisom, nalazi se sljedeći pripis: „Commisimus domino lectori nostro moderno, ut tenorem presentis constitutionis et ordinationis nostre de verbo ad verbum sine diminutione aliquali inserat et inscribat ad *rubeum librum*, ubi solent conscribi inventaria prebendaturarum et rectorum altarium nostrorum, simul cum subscriptione nominis sui“.

Prema tomu dakle ovi iztrgnuti listovi bijahu nekoč sastavni diel kaptolskoga sbornika, prozvana „liber rubeus“ ili „rubrum capitulare“, a to zato tako, da se isti luči od inoga sbornika pisana na pergameni g. 1354. i nazvana „album capitulare“[1].

Ne dugo za tim, tražeći po arkivu nebi li se namierio na ostali diel rečene crvene knjige, poslužila mi sreća, da sam i to obreo; nadjoh bo poveći sbornik od 216 listovah u kojih nalazile se razne bilježke i izprave iz XV. i XVI. vieka, pa sravnivši taj sbornik sa pomenutimi iztrgnutimi listovi, uvierih se i po pismu i po obliku, da su ti listovi nekoč bili u tom sborniku, i da je dakle taj pravi „liber rubeus“.

Ali kraj svega toga nebijaše taj sbornik podpun, manjkao bo mu je najvažniji dio t. j. početak, nu i njega pronadjoh doskora i to medju rukopisi jugoslavenske akademije pod br. CCCXXXIII.

[1] Ovaj sbornik izdao sam tiskom g. 1874. pod naslovom „Monumenta historica episcopatus zagrab.“ vol. II.

naidjoh bo na sašitak od 48 listovah pisanih što u XV. što u XVI. vieku, koji je ne samo i glede pisma i glede oblika posvema sličan kaptolskoj crvenoj knjizi, nego se, što više, u njemu nalazi početak onih važnih fassionalnih izvadakah, koji se u ovom „rubrum capitulare", nadostavljaju.

Po tom dakle bismo imali sada skoro podpun „rubrum capitulare" pisan do na 300 listovah in folio, o čijem sadržaju od potrebe jest koju progovoriti.

Iz bilježakah, koje se u tom sborniku nalaze, možemo vrlo lasno doznati dobu i kada je postao i kada je dospio, budući da najstarija izprava počima godinom 1420, a najmladja bilježka potiče od g. 1573. započet je dakle u drugoj desetini XV. vieka, te obuhvaća dobu nešto više od pol drugoga vieka.

Sadržaj toga sbornika vrlo je raznolik, a i tako moralo je i biti prema dobi, u kojoj bijaše pisan, i koja se u njemu podpuno zrcali. Već početkom XIV. vieka počeli su se pojavljivati pojedini odpori kaptolskih podanika proti vlasteli, što radi desetine, što radi inih obveza i dužnostih, koje su imali spram kaptolu, koji su uslied pokreta na slavenskom jugu, sve drzovitiji postajali, i prisilili kaptol, koliko je moguće da im olahkoti podanički teret. Opet na drugoj strani nastale su težke razmirice medju kaptolom i gričko-zagrebačkom občinom radi pobiranja mitnice i trga, kojim bijaše vaviek posliedica, nasilje, palež i krvoproliće. U samom takodjer kaptolu, sastavljenom iz ljudi raznih narodnosti i osjećaja i političkih nazora, zavladale su osobito u XV. vieku, kada su se borili različiti knezovi za ugarski i hrvatski priestol, domaće svadje i neprijateljstva, a to bijaše takodjor uzrokom, da je u svećenstvu popustila i stega crkvena; a napokon jošte svemu tomu pridružile su se i turske provale u naše zemlje.

Sa ovo nekoliko rieči ocrtasmo u kratko glavni sadržaj crvene knjige kaptola zagrebačkoga, no bud, ipak dozvoljeno i pobliže označiti što ona u sebi sadržaje.

Izprave i bilježke, koje se u toj crvenoj knjizi nalaze a potiču iz XV. vieka, odnose se što na unutarnju uredbu i život samoga kaptola, što opet na kaptol, kao vlastelina napram podanikom, pa s toga i govore one o službi božjoj, o dužnosti i obveza jednoga člana ovoga sbora napram drugomu, o zajedničkoj zaviernici proti napadačem na kaptolska prava, o stegi crkvenoj i o kaznah proti prestupnikom iste, o utvrdjivanju kaptola, o zajedničkom liečniku itd., dočim u drugoj strani sadržava naredbe i ustanove napram podanikom, a naročito sisačkim, topličkim i sesvetskim, kojim kao vlastelin podieljuje neke slobode iz stanovite obveze. — Što sve evo tiskom priobćujem.

U ovoj crvenoj knjizi vrlo su važni jošte izvadci fassionalni iz XV. vieka vrhu trsjah u Bukovcu, Kašini, Markuševcu, Novoselcu, Stefanovcu, Popovcu, Topolovcu, Domkovcu, Trnavi, Blaguši i Vukovom dolu, koja su bila na kaptolskom zemljištu, no uživali su ih kao svojinu većinom gradjani zagrebački. Ovi izvadci potekoše

uslied nagode medju kaptolom i obćinom gričko-zagrebačkom od g. 1339., gdjė se obvezao kaptol, da gradjani slobodno uživaju trsja, koja su do sada uživali na kaptolskih posjedih, a naročito u Bukovcu, pa ako su izgubili izprave, koje se na te odnose, a znade li se, da su ih zakonito užívali, izdati će im kaptol nove. Ja ću ove izvadke, koji su u tom sborniku upisani na 16 listova, jer zadržavaju sami za sebe podpunu cjelinu, inom sgodom priobćiti i razbistriti.

Kako taj „liber rubeus“ ima vrlo važnih izprava i bilježaka za XV viek, to za XVI. glede toga vrlo oskudjeva, premda o tom vieku pune su dvie trećine toga sbornika. Odmah već početkom XVI. vieka, počimaju u tom sborniku „arendationes decimarum“ i „divisiones“ i teku podpunce do g, 1573., kada i taj rukopis dospieva. Ima doduše i tu nekoliko izpravah, ali te se odnese li na iznajmljenje desetine. Ni ovomu dielu toga sbornika nemožemo odkazati važnosti, dapače u njem nalazi se mnogo podatakah o nationalnoj ekonomiji, o novcu i njegovoj vriednosti, o odnošajih kaptola prema plemstvu itd.

Spomenuh jurve, da je od g. 1354. postojao u kaptolu sbornik zakona, na koj su se i svi novoimenovani kanonici zaklinjali, da će sve točno vršiti, što se u njemu nalazi, kao i to, da je tečajem vremena nastala u kaptolu potreba postojeće neke ustanove ili promieniti ili dokinuti, i da je tako nastao novi sbornik ili crvena kaptolska knjiga. U ovu knjigu tečajem XV. vieka upisivao je kaptol pojedine svoje zaključke, koji su imali obveznu moć, nu ipak taj „liber rubeus“ nebijaše uredjen poput sbornika zakona, s toga namislio bijaše kaptol, sabrati po njemu sve dobre i valjane ustanove, a njim pridati i one, koje su jur sabrane bile u knjizi prozvanoj „album capitulare“, pa pretresav ih zrielo sastaviti novi sbornik zakona. Da to učiniti uzmogne, umoli kaptol papu Innocenta VIII da im izvoli sve postojeće ustanove izpitati, promieniti, popraviti, a bude li potrebno i dokinuti, te stvoriti novi sbornik zakona. Pismom od 7. travnja 1487. odazvao se Innocent molbi kaptolskoj, i dozvolio mu, da u suglasju sa biskupom svojim promieni postojeće zakone i uvede nove. Pismo papino ovako glasi:

Innocencius episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis capitulo zagrabiensi salutem et apostolicam benedictionem. Piis fidelium votis ex quibus animarum salutem et conscienciarum quietem prodire conspicimus libenter annuimus atque favoribus prosequimur oportunis. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita peticio continebat, quod si statuta ecclesie vestre zagrabiensis decursu iam annis centum quinquaginta vel circa edita et compilata, extunc postmodum minime immutata, ac temporum, personarum, rerumque condicionibus, mutatis oportunitatibus dicte ecclesie, pro magna parte minime deserviencia, quorum aliqua ii, qui in eadem ecclesia obtinent pro tempore dignitates, canonicatus et prebendas observare commode nequeunt, examinarentur, corrigerentur et si opus foret ex toto cassarentur et abolerentur et alia convenienda ede-

rentur, ex inde profecto dicta ecclesia in spiritualibus et temporalibus susciperet incrementum et paci conscientiarum, dignitates, canonicatus et prebendas huiusmodi obtinencium, qui de illis observandis in eorum recepcione prestiterunt et prestant pro tempore corporale iuramentum, quia nonnulla ex eis servare omittunt, utpote ecclesie minus utilia et temporum conditioni contraria et adversantia, oportune consuleretur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut vos a iuramento per vos prestito super dictorum statutorum observatione absolvere et cum venerabili fratre nostro episcopo zagrabiensi omnia et singula statuta huiusmodi etiam iuramento et apostolica auctoritate confirmata examinare, corrigere, mutare, reformare et innovare ac totaliter cassare et alia personis, locis et temporibus accomoda edere libere et licite valeatis licentiam et facultatem vobis concedere et que sic fieri, innovari et reformari contingeret, observari mandare, aliasque in premissis vobis et dicte ecclesie oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui ecclesiarum quarumlibet, presertim cathedralium et personarum earumdem laudabili regimini et reformationi libenter consulimus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, vobis, ut cum dicto episcopo omnia et singula statuta huiusmodi, etiam juramento et apostolica auctoritate confirmata, examinare, corrigere, mutare, reformare, et innovare ac totaliter cassare et alia personis, locis et temporibus predictis accomoda edere libere et licite possitis ac valeatis, licentiam et facultatem concedimus, eaque sic per vos innovata et reformata dicta auctoritate observari mandamus, absolventes singulos vestrum a prestito per vos iuramento de illis pro tempore observandis ad cuius observacionem volumus vos non teneri, non obstantibus permissis ac constitutiobus et (decretis) apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, mandati, absolutionis et (innovationis) infringere nec ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud . . . . . Anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, septimo idus aprilis. Pontificatus nostri anno tertio[1].

Je li je na temelju toga papinoga pisma sastavio kaptol novi sbornik ili nije, nezna se, no slutimo da nije, jer tomu jedno nenalazimo nikakovih viestih, a drugo, mislimo, da takov važan sbornik za cielu korporaciju, ako je i postojao, nebi se tako lasno izgubiti mogao.

[1] Izvor na koži. Na svilenoj crveno žutoj vrpci visi bulla Innocenca VIII. In ark. kapt. fasc. 88 nr. 22.

I. 1420, 9 Augusti. Privilegiales a capitulo zagrabiensi oppido Toplica concessae.

Capitulum ecclesie zagrabiensis. Omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, presentium noticiam habituris salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos opidum nostrum Tuplicha vocatum, circa aquas calidas naturales in provincia nostra Thoplicensi situm et habitum, multitudine populornm et civium decorare cupientes, universis et singulis populis et iobagionibus nostris inter in facie eiusdem residentibus, etiam in posterum de possessionibus forensium undecumque causa commoracionis ad id opidum venire volentibus, libere tamen condicionis hominibus, hanc specialis gracie prerogativam perpetuis temporibus duraturam duximus faciendam: quod ipsi amodo et in posterum in festo sancti Laurencii martiris singulis annis possunt et valeant villicum inter se eligere, qui unacum comite nostro, vel eius officialibus pro tempore constitutis omnes et singulas causas inter ipsos emergentes iusto iuris tramite discutere et examinare ac fine debito terminare valeat, ita tamen, quod due partes condempnacionum seu birsagiorum iudicialium exinde proveniencium ipsi comiti nostro provenire valeant, tercia parte dumtaxat earumdem eidem villico remanente. Annuimus eciam eisdem civibus nostris, ut ipsi pro toto censu annuo nobis debito, de quolibet fundo, seu una sessione integra, unum florenum aureum vel valorem ipsius, monete pro tempore currentis in duobus terminis, videlicet medietatem ipsius floreni in festo sancti Georgii et aliam medietatem in festo sancti Martini confessoris, nec non tria munera consveta, unum scilicet pro festo nativitatis domini, et aliud pro festo pasche, tercium vero pro predicto festo sancti Martini nobis vel nostro comiti dare et solvere teneantur. Ab omnibus autem aliis minutis serviciis, nec non daciis et collectis ac laboribus, preter decimas ac taxas quas pro necessitatibus ecclesie nostre super ipsam provinciam nostram plerumqne imponere nos cogit necessitas, nec non victualia, que eciam necessitatis tempore exigenda occurunt, ac reformationem domorum, curie, cellarii, vasorum et balnei pro communi utilitate fienda, ad que unacum aliis ipsius nostre provincie hominibus, more hucusque ohservato tenebuntur prorsus et per omnia liberi et exempti habeantur. Volumus eciam ut terras arabiles et prata ad sessiones pertinentes ab ipsis sessionibus mediante vendicione vel impignoratione, nisi aliqis ex ipsis huiusmodi terras et prata cum fundo et sessione vendere voluerit, non possit nec valeat ullomodo alienare. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes literas nostras concessimus privilegiales pendentis nostri sigilli autentici munimine roboratas. In vigilia festi beati Laurencii martiris, anno domini M. quadringentesimo vicesimo. Munus autem tercium sic ut prefertur in dicto testo pasche per eosdem nobis vel nostro comiti solvendum, ex certis causis eisdem remisimus et eciam remittimus generose. Datum ut supra.

II. Quaedam de venditione vini in oppido Toplica praescribuntur.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis. Notificamus tenore presencium quibus expedit universis, quod quamvis ex antiqua et a diu in nostra Thoplicensi provincia observata consvetudine, comites nostri sew conductores nostrorum proventuum eiusdem provincie ad vendenda vina, que ab hominibus ipsius nostre provincie et ab aliis forensibus in nostro territorio ibidem vineas habentibus, ex decimis et terragio infra anni circulum seu dies duorum mensium, sint habere soliti, infra quorum mensium sew dierum spacium nullus nostrorum predialium, civium et iobagionum ac alterius status hominum in dicta nostra provincia Thoplicensi vina sua vendere seu ad thabernandum propinare presummerent; tamen quia inter ipsos nostros comites et conductores nostrorum proventuum, hominesque dicte nostre provincie super inchonacione et incepcione dierum huiusmodi mensium, aliis asserentibus, a novilunio sew incensione lune, aliis a kalendis sew inicio kalendarum incepcionem seu inchonacionem ipsorum dierum fieri debere, presertim a tempore quando in oppido nostro thoplicensi, in duobus festis sancti Benedicti abbatis uno de mense Marcii, alio vero de mense Julii occurrentibus singulis annis foret annuale sew nundine celebrari ceperunt, satis gravis questio ac litis materia sepius mota fuerit coram nobis. Nos volentes huiusmodi liti finem imponere nostroque et ipsorum hominum dicte nostre provincie quieti consuleri, occasionemque et causam ex quibus ipse lites oriri videntur penitus removere ad supplicacionem instantem eorumdem nostrorum predialium, civium et iobagionum nobis humiliter porrectam, voluntate unanimi et communi decreto statuimus, perpetuaque stabilitate servandum pronunciamus, ut amodo (in posterum) singulis futuris temporibus ipsi nostri comites sev conductores nostrorum proventuum, (d)ies mensium predictorum pro ipsis vinis vendendis non a novilunio seu incensione lunari, sed a principio kalendarum dictorum duorum mensium videlicet Marcii et Julii prout ipsarum kalendarum principium in kalendariis notatur . . . . libris absque omni citacionis controversia incipere debeant et inchoare . . . rum principio usque in finem videlicet triginta uno diebus inclusive censando in suis thabernis solum ipsa vina nostra vendantur et ad thabernam propinentur, hoc solum excepto, quod ex speciali gracia pro bono communi et utilitate hominum dicte nostre provincie thoplicensis addicimus et concedentes annuimus, quod in predicto mense Julii, videlicet tempore huiusmodi fori annualis et nundinarum prefati nostri prediales, cives et iobagiones tribus diebus, videlicet festum ipsum sancti Benedicti immediate precedente et altero in ipso festo, tercio vero similiter ipsum festum immediate sequenti, non obstante contradiccione nostrorum comitum seu hominum ipsorum, vina (sua) publice vendere et ad thabernam libere propinare valeant atque possint . . . et simili decreto statuimus ut racione dictorum trium dierum prefatus comes noster

sex dies sequentes, mensis videlicet Augusti pro vinis nostris vendendis sub simili prohibicione et aresto aliarum thabernarum pro se valeat (vendicare), aliis singulis libertatibus dicte nostre provincie concessis in suo statu . . permanentibus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam . . . . . .

III. 1440, 7. octobris. Johanni litterato de Ludbreg confertur predium Kobiljak.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis. Notum facimus tenore presencium significantes quibus expedit universis, quod nos attentis et in animo nostro remetitis diversis serviciis et conplacenciis quibus nobis et ecclesie nostre in diversis negociis agilibus, discretus vir Johannes litteratus de Ludbreg studuit complacere, et in futurum ipsum uberius exhibere non ambigimus, ob aliqualem ergo suorum meritorum remunerationem, ut eo alii exemplati ad fideliora servitia nobis et ecclesie nostre impendenda magis animentur, quoddam predium nostrum Kobilaak nuncupatum, populorum multitudine decoratum cum omnibus et singulis eiusdem predii utilitatibus, fructuositatibus, videlicet terris arabilibus, cultis et incultis, fenilibus, pratis, silvis, nemoribus, molendinis et molendinorum locis et obvencionibus quibusvis daciis et taxis ordinariis nostris e medio ipsius predii nobis et ecclesie nostre provenientibus eidem Johanni litterato, tanquam persone benemerite dedimus, donavimus et contulimus, ymo damus, donamus et conferimus, tali condicione mediante, quod si ipse Johannes litteratus sacerdotali honore functus fuerit, pacificas hostias domino offerens, tunc vita sibi comite tantum; si autem continget ipsum more curie romane et religionis christiane coniugem ducere matrimonii federe, extunc sibi et suis heredibus sexus dumtaxat masculini iure perpetuo et irrevocabiliter tenendum, possidendum pariter et habendum. Et si sine heredum solacio ab hac luce ipsum migrare contingerit extunc ipsius predii disposicio ad nos devolvatur, hoc non pretermisso quod quicquam cum bobus propriis et mercenariis in curia sua commorantibus seminaturas qualescumque excoluerit, decimas nobis ex eisdem provenientes omnino eidem relaxamus; et quod de porcis quibusvis nullas decimas nobis et ecclesie nostre provenientes, futuris perpetuis temporibus exsolvat, et quod suos porcos in silvis nostris ubivis habitis sine solucione omnium decimarum liberam et securam pascendi habeat facultatem, hoc expresso et declarato, quod si aliquam notam infidelitatis aut ingratitudinis contra nos nostramque ecclesiam incurrerit, aut sui heredes incurrerint extunc a dominio et proprietate dicti predii destituatur ipso facto salvis tamen decimis a jobagionibus in dicto predio commorantibus racione dominii remanentibus. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum pendentis sigilli nostri munimine roboratarum mediante. Datum feria sexta proxima post festum beati Francisci confessoris. Anno domini millesimo quadringentesimo XLmo.

IV. 1445. 19 decembris. Aliqua clenodia capitulo pignori obligantur.

In anno domini M. quadringentesimo quadragesimo quinto, die dominica proxima ante festum beati Thome apostoli in sacristia ecclesie katedralis zagrabiensis ponderatum fuit argentum 42 marce et quinque lotones, et illud argentum fuit in peciis fractis, cuppa et ciphis. Item unus ciphus aureus et balteus inpignoratus pro cc flor. et sedecim per Perkonem, qui balteus et aureus ciphus non fuerunt de numero 42 marcarum premissarum[1].

V. 1447. 20. maji. Capitulum zagrabiense litteras tiniensis episcopi Demetrii, de sua translatione ad episcopatum zagrabiensem ad curiam romanam missas, falsas declarat.

Copia littere missa ad dominum Nicolaum papam quintum. Beatissime pater et clementissime domine! Post humilem nostram recommendationem, omni sinceritatis et devotionis affectu ad oscula sanctitatis vestre pedum beatorum, ipsi sanctitati vestre humiliter supplicamus presentium per tenorem. Ex multorum relatione didicimus, quomodo reverendus in Christo pater dominus Demetrius Chwpur, tiniensis ecclesie episcopus nuper per certos suos nuntios et procuratores in romana curia in presentia beatitudinis vestre nec non collegio cardinalium eiusdem sanctitatis vestre in eo gloriatus extitisset, quod nos eidem litteras nostras super consensu et assensu translationis de sua ecclesia tiniensi ad ecclesiam zagrabiensem fiendam nostro sub sigillo dedissemus. Scire dignetur beatitudo vestra gloriosa, quod nos sub nostro sigillo maiori sive minori, sed neque scripto vel facto ad huiusmodi translationem fiendam nullo tempore nostrum consensum ad scitum nostrum prebuimus pariter et assensum. Et si forsitan aliqua littera aut littere, quod non credimus, sub sigillis nostris aput commissarios felicis recordacionis Ewgenii pape in eadem causa reperiantur, ex tunc dicimus quod talis littera aut littere fuerunt et sint false nec de scitu ac voluntate nostra emanate; quia beatissime pater scimus, dominum Benedictum episcopum nostrum virum doctum et benemeritum esse et fuisse, est enim arcium liberalium magister et sacre theologie baccalaureus formatus, ad regimen predicte ecclèsie

[1] (Die 20. martii a. 1446.)

Item de argento superius expresso et dicto dominus episcopus Benedictus zagrabiensis feria secunda immediata ante festum beati Benedicti in quadragesima occurrenti restituit decem et septem marcas et duos lothones et medium cum mensura hungaricali mensurando, tamen prius fuit mensuratum cum mensura theutonicali, quando idem argentum pro se receperat in debitum. Et ego Michael de Morowcha maluerim recipere pro valore predicti argenti centum florenos auri ad fabricam ecclesie.

Item predictum balteum Perkonis idem dominus episcopus restituit in predicto die in specie ad manus capituli.

aptum et utilem tam in spiritualibus, quam temporalibus sufficientem, qui ipsam ecclesiam plurimis annis rexit et utiliter gubernavit. Ideo pater beatissime eidem sanctitati vestre supplicamus humiliter et devote, quatenus divine retribucionis intuitu, eadem beatitudo vestra velit viam et modum cogitare, ut predicta translatio mutata, prefatus dominus Benedictus prelatus noster honoribus suis pristinis aput ecclesiam zagrabiensem conservetur et nobis restituatur, quem per presentes repetimus quantum de jure possumus, quia nostrum interest habere bonum et utilem pastorem. Pro quibus beatitudo vestra nos habebit pro salute et longeva eiusdem beatitudiuis vestre prosperitate humillimos exoratores, quam altissimus feliciter conservare dignetur ad regimen ecclesie sue sancte et universalis status christianitatis unionem optatam. Datum die veneris, vigesima mensis mai. Anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. Oratores et capellani capitulum ecclesie zagtabiensis.

VI. 1454. 28. junii. Poena lata contra archidiaconum Petrum Sloterkch pro falsaria sigillatione.

Sequitur registrum nominum dominorum canonicorum capituli zagrabiensis, qui interfuerunt consilio et decreto per ipsos contra dominum Petrum Sloterkch dicto archidiaconum dubicensem etc., pro falsaria sigillacione cuiusdam littere per ipsum furtive et occulte preter scitum dominorum aliorum facte, feria sexta proxima post festum Ladislai regis et confessoris, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, et sub iuramentibus ipsorum tractate et terminate, ita quod per tempora vite sue prefatus dominus Petrus exclusus est de consorcio fratrum et quod nunquam interesse poterit sigillacioni, ut videbit sigillum, et proventibus eiusdem carebit perpetue, et eciam aliis proventibus canonicalibus carebit:

Item primo dominus Vitus prepositus zagrabiensis. Bartholomeus, cantor. Item Mathias prepositus chasmensis et de Bienico. Item Steffanus kathedralis. Item dominus Petrus, archidiaconus de Kemlek. Item Sigismundus, archidiaconus Warosd. Item Jacobus de Placencia. Johannes Bexin. Item Franciscus. Item Matheus de Kelked. Item Thomas Iwanich. Item Fabianus de Roycha. Item Steffanus de Cherstwecz. Item Johannes de Morowcha. Item Steffanus de Visoka. Blasius Nemes. Item Michael Thussawecz. Item Jacobus de Tiuer, doctor. Item Clemens de Gara. Item Thomas Chad. Item Martinus de Martinowecz. Item Mathias Rakonok. Item Johannes de Stain. Item Elyas de Soploncza, qui decreto et consilio consensit et interfuit ac iuravit, eciam dominus Jacobus archidiaconus goriczensis licet debilis.

Et isti prescripti domini sub iuramento promiserunt astare et iurare cum ipsorum personis, rebus et bonis ac honore; ita quod si idem dominus Petrus per singulares personas, canonicos prenotatos, vellet quoquomodô vexare, quod omnes tenentur defensare

sub iuramento prenotato, et si quis ex premissis . . . . . aliud auxilium sibi prebebit eandem dampnacionem incurrat.

Consensus domini episcopi super prescripta materia domini Petri Sloterkch.

Benedictus dei et apostolice sedis gracia episcopus ecclesie zagrabiensis. Venerabiles, nobis in Christo sincere dilecti. Intelleximus credenciali ex commissione venerabili viro magistro Sigismundo, archidiacono varasdiensi et canonico vestro, per vestras dilecciones facta, quod enormia et statutis vestris et ecclesie nostre dissonum in medio vestri perpetrata, in sacristia videlicet, ubi bonum pacis et ecclesie comodum merito debeant perpetrari, que omnia huiusmodi illicita facta utique ad nostrum et vestrum non cedunt honorem, ymo in detrimentum ipsarum personarum vestrarum. Superinde vos requisivistis supplicantes, quatenus huiusmodi gwerrarum et dissensionum excitatores iuxta statuta alme ecclesie nostre, dudum a sanctis patribus sanctita, puniendi adinstar demeritorum qualitatem vobis concederemus facultatem. Sed quia cum nos semper comodum et honorem ecclesie predicte nostre fervide desideremus, uti obligamur et debemus, ymo totis conatibus huiusmodi utilitati resistere volentibus, nos opponere debemus. Idcirco nostrum benivolum consensum pariter et assensum sicut per prius ita ex nunc per presentes vobis damus et concedimus huiusmodi excessores secundum excessuum qualitetem digne puniendos et penandos, formam juris et ordinem statutorum observandam, ut alii exinde exemplati deinceps gravioribus precludatur via delinquendi, prout ipse dominus Sigismundus archidiaconus de nostra intencione eisdem vestris fraternitatibus clarius referet. Datum Cilie in festo visitacionis beate Marie virginis. Anno domini MCCCCLIV. Venerabilibus viris, dominis de capitulo ecclesie zagrabiensis, fratribus nostris in Cristo sincere dilectis.

Ego Michael Salak de Krainburga publicus imperiali auctoritate notarius vigesima tercia die mensis decembris. videlicet feria tercia proxima ante festum nativitatis domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, facta est absolutio per quendam venerabilem virum dominum Wymandum abbatem monasterii beate Marie virginis zagrabiensis, coram preposito et capitulo ipsius ecclesie zagrabiensis a quodam iuramento vallato in exclusione venerabilis viri domini Petri de Dubicza et canonici ecclesie zagrabiensis racione quarumdam litterarum sigillatarum ut supra in registro prenarratarum. Presentibus ibidem discretis viris dominis, Paulo alias decano, Alberto Polono, Mathia sacrista, prebendario chori zagrabiensis. Et ibidem domini de ca pitulo plenissimam fecerunt graciam quod amplius eundem occasione premissorum nullatenus molestantur. Michael manu propria notarius.

VII. Circa 1454. Foedus capitularium pro electo zagrabiensi.

Sequitur registrum dominorum qui consensum prebuerunt ad dandam copiam absolutionis ad omnem eventum domino electo sub pena exclusionis de consorcio fratrum et privationis omnium proventuum, et hoc de unanimi consensu omnium infrascriptorum in interiori sacristia constitutorum, ita, quod omnes unanimiter uno voto, si quid contingerit vicissim se defendent. Johannes lector et canonicus manu propria me subscripsi. Ego Bartholomeus cantor et can. m. p. s. Ego Petrus dubicensis, m. p. s. Ego Petrus de Kemlek, archidiaconus et can. eccl. zagrab. m. p. Ego Sigismundus archid. et can. m. p. s. Ego Marquardus archid. de Vrbowicz et can. p. m. s. Ego Franciscus can. propria manu mea scripsi. Ego Ladislaus custos et can. p. m. me s. Ego Fabianus can. p. m. s. Ego Matheus Keelkeed m. p. Ego Stephanus de Vizoka m. p. s. Ego Stephanus Cherzthwecz m. p. s. Ego Johannes de Maroucha, consentio dispositioni premisse. Ego Jacobus doctor, can. eccl. zagrab. m. p. m. s. Clemens de Gara m. p. Ego Elyas custos chasmensis et can. eccl. zagrab. m. p. s. Ego Johannes Bexin, m. p. Ego Mathyas praepositus chasmensis, can. zagr. m. p. Blasius de Nemesourk, m. p. Ego Leonus archid. kamarczensis ac can. eccl. zagr, m. p.

VIII. 1455. 31. decembris. Fideiussores nonnulli, ratione cuiusdam argenti, dati aurifabris pro preparanda theca ad conservandum corpus s. innocentis, quientantur.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie commendamus per presentes. Quod licet providi viri, videlicet Valentinus, filius condam Michaelis Sarouych dicti, Nicolaus aurifaber, ac condam Paulus, Walpoth dictus, cives civitatis montis grechensis de juxta Zagrabiam, ratione cuiusdam argenti nostri scilicet viginti quatuor marcarum hungaricalium et quartam dimidiam uncis ad preparandam tecam ad deferendum et conservandum sanctum innocentem per providos viros Paulum et Benedictum aurifabros, civibus dicte civitatis montis grechensis, qui eandem tecam laborarunt, fideiussores nobis exstitissent, et in robur huiusmodi fideiussorie cautionis certi tenoris litteras sub sigillo civitatis montis grechensis predicte nobis assignassent, quas litteras per negligentem custodiam et conservationem condam honorabilis viri magistri Michaelis de Thosaycz socii et concanonici nostri cognoscimus fore deperditas: ideo nos annotatos Valentinum, Nicolaum et condam Paulum Walpoth ratione huiusmodi fideiussorie cautionis, quietos, pacificos et modis omnibus absolutos, ymmo reddimus et committimus, litteras eciam premissas fideiussorias sic casualiter deperditas, vanas, cassas et viribus relinquimus carituras, ymmo ubique litterarum exhibitori earumdem notificetur. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum feria quarta proxima ante festum circumcisionis domini. Anno eiusdem MCCCC quinquagesimo quinto.

IX. 1455. 31. decembris. Aurifabri zagrabienses Paulus et Benedictus, ob restitutum argentum pro fienda theca pueri innocentis, absolvuntur.

Noc capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie commendamus per presentes, quod quamquam nos certam quotam argenti nostri et ecclesie nostre, primum viginti quatuor marcas cum aliqua excrescentia, tandem eo amplius simul cum predictis viginti quatuor marcis, ad triginta sex, cum media, marcis argenti demptis quatuor nezeek, se extendentem, dempto dumtaxat argento, quod nondum extitit laboratum, providis viris Paulo et Benedicto, aurifabris, civibus civitatis montis grechensis de juxta Zagrabiam ad preparandam tecam ad conservandum et deferendum corpus pueri innocentis, dederamus et assignaveramus, que, triginta sex ac media marce, minus quatuor nezeek, sint ad eandem tecam cuse et preparate. Et quia dictum argentum sicut premittitur preparatum unacum non preparato propter instantem pestilentiam et aliis de causis animum nostrum ad id moventibus, ne ab eadem ecclesia ipsa teca et huiusmodi argentum a nobis et dicta ecclesia nostra quoquomodo deperdatur ab eisdem Paulo et Benedicto aurifabris, eandem tecam ac argentum tam preparatum quam et non preparatum ad nos recepimus, ymmo recepimus realiter et cum effectu. Ideo nos annotatos Paulum et Benedictum aurifabros predictos ratione huiusmodi plenarie assignationis ipsius tece et argenti modo quo premittitur nobis facte, quietos, pacificos et modis omnibus reddimus absolutos; eosdemque Paulum et Benedictum aurifabros a fideiussoria cautione providorum virorum Valentini, filii condam Michaelis Sarouych dicti ac Nicolai aurifabri et Pauli Walpoth dicti, civium dicte civitatis montis grechensis, ratione dicte tece omnino absolvimus et absolutos reddimus per presentes. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum feria quarta proxima ante festum circumcisionis domini. Anno eiusdem MCCCC quinquagesimo quinto.

X. 1458. 8. aprilis. Vitus praepositus et magister canonicus Clemens privantur ad tempus prediis et proventibus.

Anno domini MCCCCLVIII, sabbato proximo post festum resurectionis domini, ad sonum maioris campane omnes domini presentes capitulariter congregati ante magnam choralem missam, multis et diversis prius premissis tractatibus et matura prehabita deliberatione, unanimi voto et concordi voluntate concluserunt, quod venerabiles viri domini Vitus prepositus et magister Clemens, concanonici nostri, per reverendum in Christo patrem dominum nostrum generosum, dominum episcopum waradiensem, ex relatione honorabilis domini Thome Tompa vocati, consocii nostri, inculpati, acusati, quod iidem, eundem tempore sue captivitatis certis diffamatoriis vel exacerbatoriis pocius verbis graviter offendissent Bude scilicet in nostra lega-

cione existentes, ob quod eciam littere privilegiales capituli, racione decimarum inter Muram et Drawam per eundem dominum waradiensem quodammodo prepedite forent nec ad presens sunt extracte; primo: consorcio fratrum capitularium, demum prediis canonicalibus, tandem omnibus et quibusvis proventibus tamdiu sunt privati et debent privari, quousque litteras placationis ab ipso domino varadiensi optinuerint et easdem coram nobis produxerint, ita, quod eundem cognoverimus per omnia placatum. Magister autem Clemens tamdiu, eciam post inventam a domino waradiensi graciam privabitur, quousqe a nobis graciam, ratione imperticionis Kralyouch meruerit optinere. Ad que premissa observanda omnes propria manu domini se subscribent et sub premissis penis nemo ex dominis pro se ulterius pro Kralyouch et suis pertinenciis laborabit, neque alicui consilium, auxilium vel favorem ex nobis vel alieno prestabit. Johannes lector et can. ecclesie zagrabiensis, propria manu subscripsi ad premissa. Bartholomeus cantor et can. m. p. subscripsi. Mathyas, prepositus chasmensis m. p. Ego Petrus, archidiaconus dubiczensis m. p. subscripsi ad premissa observanda. Ego Sigismundus, archidiaconus de Warosd, m. p. subscripsi. Ego Petrus archidiaconus de Kemlek, propria manu mea subscripsi. Ego Johannes, archidiaconus de Bexin p. m. subscripsi. Ego Paulus, archidiaconus de Waska, m. pr. Ego Franciscus, canonicus, m. p. Ego Matheus, can. m. p. Ego Fabianus, can. m. p, Ego Ladislaus, custos et can. m. p. Vincencius (?) doctor, can. et vicarius ecclesie zagrabiensis. Ego Stephanus Cherzthwetz can. zagrab. m. p. Ego Jacobus, doctor, de Tiuer, can. eccl. zagrab. m. p. Ego Martinus de Martinowcz can, eccl. zagrab. m. p. Ego Nicolaus Tolduer, can. eccl. zagrab. hic me m p. subscripsi. Ego Elyas Saploncza, can. eccl zagrab. m. p. subscripsi. Ego Thomas Tomppa de Horzowa, strigoniensis et zagrabiensis ecclesiarum can. m. p. Ego Albertus de Salaad, can. eccl. zagrab. m. p. Ego Gerardus de Patak, can. eccl. zagrab. m. p. Ego Blasius de Nemesburgh can. similiter prefate eccl. can. m. p. Ego Martinus de Ratges de Reyffnicz can. eccl. zagrab. m. p. me subscripsi. Ego Johannes de Martinecz, can. zagrab. hec m p. subscripsi. Ego Demetrius, decretorum doctor, can. zagrab. in persona magistri Nicolai de Zabothina canonici zagrabiensis hec scripsi ipso presente et mandante presentibus dominis de capitulo et videntibus. Ego Blasius de Glaunicza can. eccl. zagrab. hic me m. p. subscripsi.

XI. 1458. 12. aprilis. Quod infirmi sigillaribus potiantur sicut presentes in sacristia.

Anno domini MCCCCL octavo, feria quarta proxima ante festum beati Tiburcii martiris, proxime ventura, omnes domini de capitulo pro tunc in sigillacione presentes concordi et unanimi voto concluserunt, et firmiter deinceps observari statuerunt, quod omnes egroti ex dominis et infirmitate notabili depressi, qui scilicet intrare

ad sigillacionem non possent, non obstante eorum absencia, quos tamen racionabilis excusat molestia, tamquam in sigillacione presentes, omnibus sigilli proventibus misericorditer pociantur, quod perpetuis successivis temporibus irrefragabiliter observetur, ut eo modo caritas mutua ad alterutrum radicetur.

XII. 1460. Thomas Tompa 34 flor. conducit decimas de Bexin.

Assumpsit dominus Thomas Tompa in pleno capitulo, secundo die festi beati Petri ad vincula in maiori sacristia et promisit, quod fideliter laborabit et dicabit decimas Bexin, et tandem verum registrum sine omni fallo et diminucione dominis presentabit, cuius respectu habuit decimas easdem solum pro triginta quatuor florenis. Anno domini MCCCC sexagesimo.

XIII. Circa an. 1460. Foedus capitularium contra invasorem jurium canonicalium.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis per subscripcionem manuum nostrarum hic inferius, promittimus, quod firme et constanter stabimus et persistemus in factis et negociis nostris, que nunc procuravit nobis Paulus, archidiaconus kamarcensis, ducendo contra nos quemdam Robertum doctorem ab archiepiscopo ut usurparet iurisdiccionem nostram et potestatem constituendi vicarium afferet a nobis. Et stabimus unus pro omnibus et omnes pro uno. Et ad hoc se obligavimus et astringimus propriis juramentis et juvabimus expensis et fatigiis. Johannes de Stayn, lector et canonicus dicte ecclesie zagrabiensis. Bartolomeus cantor et canonicus zagrabiensis. Mathyas prepositus casmensis, can. zagrab. Martinus archidiaconus de Waska, can. zagrab. Sigismundus archidiaconus in Warosd, can. zagrab. Ladislaus custos et can. zagrab. Matheus Kewlkws, can. Fabianus de Roycha, manu propria. Blasius de Nemes, m. p. Jacobus de Tiuer, d. d. can. zagrab. m. p. Thomas Thompa, can. zagrab. m. p, Demetrius doctor et vicarius ecclesie zagrab. predicte. Gerardus de Patak, can. eccl. zagrab. m. p. Blasius de Marowcha, can zagrab. m. p. Johannes s. Johannis ecclesie plebanus, et can. zagrab. m. p.

XIV. 1462. 24. maji. Rex Mathias dat episcopo varadiensi plenum ius conferendi omnia beneficia in ecclesia zagrabiensi.

Commissio propria domini regis. Mathias dei gracia rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. fidelibus nostris honorabili capitulo ecclesie zagrabiensis, salutem et graciam. Animadvertimus inter diuturnam competitorum contencionem, multos errores et defectus tum in aliis, tum presertim in collacione beneficiorum in illa ecclesia committi, ea eciam de causa, quod nobis per eos, qui impetraverint personarum condiciones, ita, ut sunt, sepius non notifi-

cantur, ex quo frequenter contingit, minime idoneos et plane indignos promoveri. Quibus scandalis et enormitatibus pro debito nostro providere et occurere volentes, omnem auctoritatem jurispatronatus nostri regii, quod, sicut in omnibus aliis ecclesiis regni nostri kathedralibus presertim et collegiatis, ita in ipsa ecclesia zagrabiensi, more divorum predecessorum nostrorum, regum Hungarie, habere dinoscimur, fideli nostro dilecto, reverendo in Christo patri domino Johanni, episcopo ecclesie waradiensis ita dedimus et concessimus, damusque et concedimus, ut ipse omnes dignitates, personatus ac quecumque officia et beneficia ecclesiastica, amodo deinceps in prefata ecclesia zagrabiensi, qualitercumque de jure et facto vacatura, personis idoneis et benemeritis conferre, et de eisdem providere valeat atque possit pleno jure Ideo fidelitati vestre harum serie firmiter precipimus, mandamus, quatenus amodo in antea illos tantummodo ad dignitates, personatus, officia et beneficia ecclesiastica vacatura admittere et in vestri medium acceptare debeatis et teneamini, quibus huiusmodi dignitates, personatus, officia et beneficia eccleciastica prefatus dominus Johannes episcopus contulerit; aliis quorumcumque litteris et mandatis minime curatis. Nos enim pro irrito haberi volumus, si quid huiusmodi mandati nostri in contemptum fuerit, quoquomodo forsitan attemptatum. Secus igitur non facturi. Presentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Bude, feria secunda proxima ante festum ascensionis domini. Anno eiusdem M quadringentesimo sexagesimo secundo.

XV. 1462. 18 junii. Expeditoria civitatis zagrabiensis propter invasionem koncharum.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie comendamus per presentes, quod licet nos ratione potenciarie invasionis konche nostre providum et circumspectos viros Anthonium alias judicem et complices eiusdem cives civitatis Montisgrechensis in presencia abbatis monasterii beate Marie virginis, judicis videlicet, conservatoris jurium ecclesie nostre citaverimus, contraque et adversus eosdem certas censuras ecclesiasticas fulminari, ac eciam ecclesiasticum interdictum imponi procuraverimus; tamen expost ad attente peticionis instanciam spectabilis ac magnifici domini Jani, Zagorie comitis et regni Sclauonie bani easdem censuras et interdictum et universos processus racione previa contra prelibatos Anthonium judicem ac alios complices et cives dicte civitatis secutas et fulminatas levari et penitus tolli ac amoveri fecimus, eosdemque racione previa per omnia expeditos commiserimus, immo reddimus et committimus presencium per vigorem. Ita tamen, quod prenominati judex et cives se de juribus et libertatibus ecclesie nostre nullatenus intromittant. Datum in festo beatorum Marci et Marcellini martirum. Anno domini M quadringentesimo sexagesimo secundo.

XVI. 1464. 25. maji. Statutum poenale contra detentores bonorum et rerum per colonos ablatarum.

Anno domini MCCCC sexagesimo quarto, feria sexta proxima post penthecostes, videlicet ipso die festi beati Vrbani pape, conclusum est capitulariter in interiori sacristia per dominos, quod quicumque alienas res et quevis bona, quocunque nomine censeantur, per colonos nostros ab exercituantibus hac ieme preterita ablatas et recepta, a die datarum presentium computando non restituerint et ad locum per nos deputandum non reposuerint, extunc talis vel tales tamquam reipublice occultatores et defraudatores consorcio fratrum et prediis ac omnibus eorum proventibus canonicalibus semper et tam diu priventur, quousque in pleno capitulo et omnium unanimi consensu et voto meruerint sibi ipsis graciam super huiusmodi excessibus optinere.

XVII. 1464. 17. augusti. Dr. Demetrius eligitur in vicarium.

Gracias agens altissimas dominis meis de capitulo zagrabiensi, qui pro solita benignitate ipsorum, qua et alias erga me servitorem suum uti consveti sint, ad honorem vicariatus me prefecerunt, promitto, quod in omnibus rebus et precipue gravioribus agendis recurram ad auxilia et consilia ipsorum eaque suspiciam prout valuerint. Et quod pro voluntate ipsorum eidem vicariatu cadem. Et quod exempcione mea contra eosdem dominos non utar. Et quod dimissorias sine licencia ipsorum dominorum non dabo, et reverebor omnes et singulos dominos meos et quod . . . . sione non taxabo quemquam. Scripsi ego Demetrius doctor, manu propria, in medio dictorum dominorum sedens, octavo die festi beati Laurencii martiris, videlicet feria sexta proxima post festum assumpcionis Marie, hora tercia vel quasi post maiorem missam. Anno domini MCCCCLXIV.

XVIII. 1464. 21. octobris. Constituitur poena talionis.

Nota! quod omnes domini in maiori sacristia capitulariter congregati debita deliberacione prehabita ipso die festi beatorum decem millium martirum, anno MCCCCLX quarto statuerunt firmiter observare, neque quovis modo immutare de anni instantis proxinis quibusvis divisionibus et distribucionibus in pecunia et qualitercumque emergentibus, statuta ecclesie firmissime observare, absque gracia irremisibiliter, tali condicione interposita, quod quicumque ex dominis pro aliquo, pena statuti plectendo, postularet, simili pena statuti, plecteretur.

XIX. 1465. 18. januarii. Mathias rex mandat capitulo zagrabiensi, ut canonicis in negotiis publicis absentibus omnes proventus administret.

Commisio propria domini regis. Mathias dei gracia rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Fidelibus nostris capitulo ecclesie zagrabiensis salutem et graciam. Exposuerunt nobis fideles nostri hono-

rabiles magistri Johannes, archidiaconus goricensis, ac Stephanus de Jalza et Johannes Wythezych de Kamarcza, concanonici vestri gravamen cum querela, quod quamvis nos alias vobis mandaverimus in eo, ùt vos universos proventus, redditus et fructus anni preteriti prefatis exponentibus racione beneficiorum ipsorum, ipsis provenire debentibus e medio vestri administrari facere deberetis, vosque quod ad eos pertinuerit integraliter extradare facere promisistis; tamen nunc et mandata nostra et promissionibus vestris posthabitis id minime facere curassetis nec curaretis eciam de presenti, in contemptum mandatorum nostrorum et vestre promissionis negligenciam. Et quamvis mandata nostra vobis cure fieri, vestraque promissa rata esse debeant, tamen quia eciam ex singulari privilegio regum et predecessorum nostrorum id fuerit observatum, ut omnes beneficiati, qui eorum curias in serviciis publicis et privatis incolunt et secuntur, quacumque dignitate emineant, omnes proventus et redditus racione suorum beneficiorum ipsis provenientes, absentes eque sicut presentes, demtis cottidianis distribucionibus percipere valeant atque possint. Ideo fidelitati vestre harum serie firmiter precipientes mandamus, quatenus statim visis presentibus universos proventus, fructus et redditus ipsis racione dictorum beneficiorum eorum, provenire debentes e medio vestri tamquam presentibus administrare, et per eos quorum interest administrari facere debeatis, quod si secus feceritis, scitote, quod nos precipue propter non observationem nostri et curie nostre privilegii, bona vestra per banos et vicebanos regni nostri Sclauonie occupari faciemus. Secus igitur non facturi. Presentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Bude in festo beate Prisce virginis et martiris. Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto. Regni nostri anno septimo, coronationis vero primo. Collacionata per me Vdalricum de Hoztradicz, notarium publicum. m. p.

XX. 1466. 29. septembris. Rectoratus altaris s. crucis confertur can. Matheo Kelked.

Anno domini MCCCCLX sexto, ipso die festi beati Michaelis archangeli, domini capitulariter in interiori sacristia congregati, videlicet: dominus cantor, dominus chasmensis prepositus, vicarius, dominus Kemlek, Warasd, Wasca, Bexin archidiaconi, Ladislaus custos, magistri: Fabianus, Nemes, Tyuer, Elias, Zapolya, magister Johannes alias sancti Johannis Belethnich, unanimi voto contulerunt rectoratum altaris sancte crucis, venerabili domino Matheo Kelked, archidiacono kamarcensi et concanonico eorum, ista condicione interiecta, quod omnes porci de dicto rectoratu pro tempore provenientes una cum pecuniis porcalibus semper dominis de capitulo modis omnibus debent provenire, et idem rector se de eisdem et de decimis ac inposicione taxarum extraordinariarum et recolleccione earum nullatenus intromittere, et pro posse aput dominos .....

*

procurare; taxas et collectas autem annuales et consvetas pro se exiget idem rector. Ego Matheus, archidiaconus kamarcensis subscripsi manu propria.

XXI. 1467. 6. novembris. Statutum pro defendendis libertatibus capituli, et de non pandendis secretis.

Anno domini MCCCCLXVII. Feria sexta infra octavam omnium sanctorum, domini: prepositus, lector, cantor et ceteri domini infrascripti capitulariter in interiori sacristia congregati, attendentes, quod de die in diem ecclesia ruinam patitur, bona ipsius dilapidantur, decime abstrahuntur, testamenta infringuntur, clerus persequitur et alia incomoda inferuntur, peioraque in futurum formidantes iuramento medio concluserunt, ac ut robur habeant firmitatis, quilibet se sua propria manu scripsit et se ad infrascripta observanda obligavit: in primis quod laborabunt pro decimis inter Muram et Drawam, in campo et alias ubi opportunum fuerit. Similiter pro quartis archidiaconorum cum iuvamine tamen expensarum suarum. Item pro libertacione curiarum, rerum et personarum. Item pro testamentis et generaliter pro omnibus utilitatibus ecclesie, quod unus alterum defendat, procuratorem eciam, qui in talibus laborabit, si qua incurreret incommoda fideliter relevabunt. Quodque presentem constitucionem sub penis periurii et perpetue exclusionis de consorcio secretissime inter se tenebunt. Hoc eciam adiecto, quod si quis per amplius aliqua secreta eciam et qualitercumque parva revelaverit in capitulo facta ipsis penis omnino sit sine misericordia subiectus, ea dumtaxat que cadent in discrimen capituli. Johannes, lector, manu propria. Bartholomeus, cantor, m. p. Mathyas, prepositus chasmensis, m. p. Matheus archidiaconus, m. p. Martinus archidiaconus, goricensis, m. p. Paulus archidiaconus de Kemlek, m. p. Martinus archidiaconus de Vaska, m. p. Johannes archidiaconus chasmensis, m. p. Georgius archidiaconus de Bexin, m. p. Sigismundus archidiaconus de Warasd, m. p. Georgius archidiaconus de Vrbowcz, m. p. Ladislaus custos et canonicus, m. p. Fabianus de Rojcha, m. p. Jacobus, doctor, m. p. Elyas de Suplancza, m. p. Gerardus de Patak, m. p. Demetrius, manu propria. Johannes de Izdex, (Izdencz) m. p. Andreas de Cracouia, m. p. Michael de Reyffnicz, m. p. Item Georgius Viti de Kerbowa, m. p.

XXII. 1469. 19. decembris. Capitulum zagrabiense, Petro Bathka et matri eius ac fratribus pignori dedit 500 florenis auri, Toplicam ac eius districtum.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis memorie commendamus per presentes, quod nos maxima necessitate compulsi oppidum nostrum Thoplicas unacum totali provincia nostra thoplicensi et omnibus villis et possessionibus in eadem habitis ac cunctis generaliter utilitatibus, proventibus, emolumentis et obventionibus solitis dumtaxat et con-

svetis a data presentium usque festum penthecostes proxime affuturum provenientibus et provenire debentibus egregio Petro, filio condam Ladislai, filii Stephani Bathka de Razyna kerezthwr, ac generose domine Margaretha vocate, relicte dicti condam Ladislai, matri videlicet eiusdem Petri, nec non Christoforo et Friderico, filiis eiusdem domine Margarethe ex condam Hans Lamberger, altero videlicet domino et marito dicte domine Margarethe procreatis, nec non alteri nobili domine Margaretha vocate consorti et Ladislao, filio ipsius Petri Bathka pro quingentis florenis auri puri, boni et iusti ponderis per eosdem Petrum, dominam Margarethan ac Christoforum et Fridericum nobis plenarie datis et assignatis a data, ut prefertur, presentium usque proximum festum penthecostes impignoramus et obligamus tali modo: quod si et in casu premissos quingentos florenos auri prenominatis Petro Bathka et domine Margarethe matri eiusdem ac aliis quibus supra, nos totaliter et cum effectu plenarie non persolverimus et non restituerimus, extunc iidem prenominati Petrus et domina Margaretha mater eiusdem cum aliis quibus supra, solum vigore presencium absque quolibet litis et judicii strepitu, non obstante etiam contradictione nostra, liberam, plenariam et omnimodam potestatis facultatem habebunt et habeant eo facto, premissum opidum nostrum Thoplicense et provinciam nostram totalem thoplicensem cum omnibus, ut supra, utilitatibus et pertinentiis ac eciam decimis universis quam aliis et quibuslibet solitis et consvetis utilitatibus, integritatibus, comodositatibus, proventibus et obventionibus quovis nominis vocabulo vocitatis ad idem et eandem spectantibus et pertinere debentibus, solitis, ut premittitur duntaxat et consvetis a premisso festo penthecostes proxime, ut prefertur, affuturo usque aliud futurum festum penthecostes, occupandi, servandi et omnes fructus et utilitates, decimas et obventiones, premissas et preallegata, tollendi et levandi, deindeque et deinceps in posterum et in antea semper quousque eandem summam quingentorum florenorum auri plenarie eisdem persolverimus cum effectu, a futuris et succedentibus festis prenominati penthecostes usque iterum et iterum, aliud et aliud festum penthecostes tamdiu, donec et quousque eisdem per nos plena persolucio premissorum quingentorum florenorum auri impendetur, premissum oppidum et provinciam thoplicensem, modo quo supra, cum suis pertinentiis et proventibus superius expressis et modo preallegato, declarat servandi et tenendi et possidendi semper plenam habeant potestatem, nostra ut prefertur contradictione non obstante. Assumpsimus nichilominus et assumpmimus eosdem, quos supra, infra redemptionem in pacifico dominio premissorum tueri et conservare nostris propriis laboribus et expensis harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum feria tercia proxima (ante) festum beati Thome apostoli. Anno domini MCCCLX nono. Ad quod et ad que observanda nos et nostros successores obligantes presentium per vigorem. Datum (ut supra).

XXIII. 1470. Libertates oppido et provinciae sisciensi conferuntur.

Sequuntur clausule libertatum, quas plenum capitulum zagrabiense de anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo litteratorie dedit provincie zytheczensi perpetuo durandi et eisdem fruendi, quas clausulas ipsi Zytheczenses in eisdem litteris superinde ipsis datis habent. Prima clausula sic incipit:

De electione et proventuum wayuode.

Prima videlicet et ante omnia, ut ipsi Zythecenses singulis annis die dominico ante festum sancti Laurencii martiris, ante prandium, in villa Zela[1] congregati, per ipsorum sex iuratos, quos tota communitas eliget, iuxta modum et formam per nos iam ipsis traditam, wayuodam eligere valeant et nobis presentare, qui eos et ipsorum singulos ac alios inhabitatores provincie eiusdem in omnibus causis civilibus tamquam iudex noster temporalis, exceptis casibus criminalibus, quos ipse woyuoda cum comite nostro, pro tempore constituto valeat et possit iudicare adhibitis secum dictis sex iuratis et aliis assessoribus, qui sibi pro decisione causarum huiusmodi meliores videbuntur; hoc tamen expresso, quod quilibet colonus causam suam civilem civiliter motam a presencia wayuode et suocum iuratorum ex causa racionabili possit ad nostram et nostri pomitis presenciam deducere quocienscumque et quandocumque exnedierit, depositis primo ante wayuodam quadraginta denariis more usualis. Quicumque autem causam non propter gravamen, sed frivole, valens declinare examen sui wayuode, coram nobis vel comite nostro deduxerit, et de hoc ex revisione nobis constiterit, talem remittemus ad suum wayuodam et iuratos condempnatum iterum in quadraginta denariis, ut supra, solvendis suo wayuode, sicut prius. De proventibus autem condempnacionum huiusmodi et aliis iuste provenientibus undecunque racione sui iudicatus, wayuoda habeat duas partes et sui iurati terciam; exceptis dumtaxat ipsis casibus preallegatis, de quorum condempnacionibus duas partes noster comes et terciam partem ipse wayuoda cum suis iuratis habebunt et percipient absolute. Illi autem qui causam suam in presenciam nostram aut comitis nostri, depositis prius quadraginta denariis, ex iusta racione deduxerint et istud per nos aut comitem nostrum cognitum fuerit, dummodo ad suum wayvodam redierit, dicti quadraginta denarii eisdem restituantur.

De juramenti deposicione wayuode.

Item, wayuoda statim post suam electionem iuramentum in capella in dicta Zela habita de amministranda veritate et justicia unicuique querulanti et iusticiam petenti deponet, quod verisimi-

[1] Sela prope Sisak.

liter intelligendum de ipsis sex iuratis, qui iuramentum deponent modo quo supra, antequam wayuoda per eosdem eligatur. Nullus eciam hominum tempore ipsius eleccionis aliquas rixas aut guerras inchoare debeat sub pena quinquaginta marcarum denariorum usualium nostro dominio proveniencium. Wayuoda autem tres precones, qui ei erunt adiutorio, non diciores, (ne) unde proventus nostri minorarentur, sed mediocris condicionis eliget, qui ab omnibus proventibus nostris pro illo anno erunt exempti cum wayuoda ipsorum.

De pena vituperii.

Item, quicumque colonus alium colonum vituperiosis, obprobriosis et contumeliosis verbis affecerit, unam marcam, si est bone fame eidem et tantumdem comiti et wayuode cum suis coniuratis, modo supradicto, alias in una marca comiti et wayuode teneatur. Et si post terciam monicionem se non emendaverit rebus omnibus per nos confiscatis, tamquam infamis de provincia expellatur.

De pena percussionis alape.

Item, si quis alicui alapam dederit vel per crines iniuriose traxerit, eandem penam paciatur. Si vero hoc comite vel wayuoda presentibus vel pro tribunali sedentibus ac eciam juratorum perpetrare presumpserit pena duppli plectatur. Quod si hoc in personam comitis aut wayuode vel alicuius jurati attemptaverit, decem marcas usualis monete pro pena exsolvat; quod si solvere non poterit, manum redimat vel iuxta arbitrium ipsius comitis vel wayuode puniatur.

De bonis occisorum pro maleficiis.

In alio autem casu quando aliquis pro commisso maleficio morte punitur vel affligitur bona sua per comitem aut wayuodam nobis occupentur; de quibus consideratis heredibus talis, una pars cedat et parentibus occisi, due vero nobis. Si vero captus fuerit secundum consvetudinem justicia fiat de eodem, dempto si quis in ludo sine premeditata malicia aliquem interfecerit, in hoc enim casu centum pensas cognatis interfecti, viginti vero pensas comiti et wayuode ac juratis refundat interfector. Cui si facultas non suffecerit comitis et wayuode juratorumque arbitrio relinquetur.

Item si quis extraneus in predicta provincia similia perpetraverit per comitem et wayuodam ac juratos eiusdem judicetur et penis eisdem subiaceat condempnatus. Si vero ex incolis eiusdem provincie in furto vel latrocinio deprehensus fuerit per comitem et wayuodam ac juratos iudicatus puniatur.

De suspicione alicuius in judicio.

Item si contra aliquem de incolis provincie predicte in judicio suspicio fuerit furti vel alterius latrocinii allegata, talis, si alias de simili infamis non fuerit, se purgare debeat met tercius cum hominibus sibi similibus, alias numerus coniuratorum dupplicetur.

Item, si quis extraneus aliquem dicte provincie incolam in causa pecuniaria pro illata iniuria voluerit convenire coram comite vel wayuoda, secundum merita cause, et eius iuratis, conveniat; et nulla causa ad duellum judicetur, sed per testes et juramenta terminetur, sive sit cum extraneis sive cum indigenis, et quod ipsi testes jurati in deponendo testimonio singulatim ac singulariter examinentur. Testes eciam eiusdem condicionis et libertatis cuius isti sunt, assumantur. Eodem modo sive extraneus inveniat aput incolas, sive incola aput extraneum equum, bovem aut alias res furtivas semper testes, ut supra diximus, producantur.

Item, si quis in calumpnia vel falso testimonio convictus fuerit manifeste vel eciam deprehensus, tria latera redimat, id est, novem marcas denariorum usualium solvat et nec in wayuodam, nec in juratum vel judici(i) assessorem sive consiliarium deinceps admittatur.

Item, si quis aliquem offenderit ad effusionem sanguinis sine gravi enormitate centum denarios usuales comiti solvat et wayuode et totidem parti lese, medico autem lesi satisfaciat.

Item, si aliquis ex incolis alium incolam in capite, in facie vel in manu wlneraverit, aut cum lanceta, cultello vel alio offendiculo fixerit, aut in quacumque parte corporis sagittaverit, talis solvet quinque marcas comiti et wayode ac suis juratis, et leso totidem, medico autem lesi satisfaciat. Si autem emiserit sagittam et non wlneraverit ex eo, quia machinatus est facere mortem, solvet dupplam pene prenotate.

Item, si aliquis aliquem verberaverit sine sanguinis effusione et cicatrices in corpore suo fecerit pro qualibet cicatrice solvet sexaginta denarios et wayuode cum juratis et totidem parti lese.

Item, si aliquis aliquem clawa ferrea[1] percusserit, quotcumque in ipsa clawa aut cambuca claviculis ferreis infixa, extremitates, que secundum wlgum pennee dicuntur, existunt, tot marcas solvet comiti et wayuode ac iuratis, et totidem parti lese.

Si aliquis aliquem detinuerit vel contra eundem criminaliter comiti aut woyuode fuerit querulatus, terminusque eidem ad prosequendum causam suam assignatus fuerit et medio (tempore) cum adversario suo concordaverit sine scitu comitis et wayuode, talis solvet unam marcam denariorum, que dicitur marca pacis et corcordie.

Item, si aliquis domum alienam sine scitu comitis vel vayuode violenter invaserit et incolam seu inhabitatorem ipsius domus aut alium quemcumque hominem recte condicionis percusserit, talis solvet comiti et vayuode quinque marcas denariorum, leso autem satisfaciat.

Item, si aliquis ad mandatum spani vel wayuode presertim pro communi bono ad defensionem provincie assurgere et eidem adherere noluerit, vel eciam alias rebellis fuerit, solvet unam marcam denariorum, de qua due partes spano et tercia wayuode.

---

[1] Buzdovan.

Item si aliquis sine causa legitima *pomagay* clamaverit et rumorem in provincia fecerit, eadem pena condempnetur. Alia autem circa iudicia talismodi et eorum penas arbitrio comitis nostri, wayuodeque et iuratorum ac tocius communitatis, que remedium et utilitatem ipsius provincie et nostrum honorem respiciunt, relinquuntur.

Concedimus autem liberaliter et efficaciter eisdem nostris iobagionibus veris utputa habitatoribus provincie predicte, quod de bonis suis mobilibus et immobilibus ac se moventibus, tam in vita, quam in morte habeant disponendi liberam facultatem. Quicumque autem intestatus decesserit, in bonis suis succedat eidem heredes sui proximiores sexus utriusque usque ad quartam generacionem suo modo et ordine. Sed talibus non extantibus, bona defuncti in tres partes dividantur, quarum prima pro sue salutis remedio sive pro fabrica ecclesie disponatur, secunda cedat nostre disposicioni, tercia per comitem, wayuodam et juratos dividatur.

Volumus eciam, quod certe persone ex nobis semel, aut bis, aut pluries in anno quos ad hec duxerimus deputandos, casus, qui per comitem et wayuodam non poterunt terminari, in medium dictorum iobagionum nostrorum accedendo, cum dicto nostro comite debeant terminare; quibus provincia de sufficientibus victualibus habebit providere Quando autem, cum de Zagrabia cogit necessitas egredi ad forenses dominos temporales vel alios pro relevandis gravaminibus et recuperandis ablatis vel similibus ad peticionem eorumdem, nam in talibus semper debebit fieri, quod fuerit racionis.

Item, si aliquis infidelitatem aut ingratitudinem inciderit privabitur bonis et civili.

Decrevimus eciam et eisdem populis et jobagionibus nostris ad instanciam peticionis ipsorum conclusimus, ut iidem pro decimis tritici et milii tam in oppido quam in provincia, item pro mardurinis in provincia, in oppido autem pro taxa sancti Martini, alias pro nobis exigi solitis, de singulis sessionibus unum florenum in auro, aut valorem eiusdem, medietatem utputa ipsius floreni in festo beati Georgii martiris et reliquam medietatem in festo beati Nicolai confessoris solvere habebunt annis singulis et temporibus semper perpetuis; quamquidem solucionem si wayuoda in provincia et villicus in oppido in terminis premissis facere non curaverit, viginti quinque marcas denariorum dominio solvet.

Sessiones autem in provincia adeo volumus esse liberas, quod vendi et emi valeant tali videlicet modo, quod si aliquis nunc vel in futurum sessionem tenens, medietatem eciam aut quartam partem eiusdem sessionis vendere voluerit, extunc vendat eandem cum terris arabilibus, fenilibus et aliis ad eandem porcionem spectantibus, nec aliquis terras arabiles vel fenilia a sessione sua vendere aut quoquomodo valeat alienare. Hoc eciam expresso, quod si aliquis de sessione sua ad dominia aliorum se moraturum conferre vellet aut conferret, et ipsam suam sessionem ante recessum suum non venderet, aut alium loco sui in eadem non locaret et

neque de eadem in dominio alieno existens, proventus nobis adinstar aliorum solvere non curaret; extunc omnia bona sua in eadem habita, comes noster tollet, nec eandem de alio dominyo vendere valebit, quorum bonorum due partes comiti et tercia wayuode cum suis juratis debebit.

Item si aliquis sessionem suam adeo desolaverit, quod ipsos proventus nostros solvere non posset, talis sessione privetur per wayuodam, et ad ipsam alter iobagio locetur.

De solucione munerum.

Item pro muneribus alias solvere consvetis dummodo domynio nostro placuerit iidem iobagiones et populi in provincia predicta commorantes de qualibet sessione unum caponem et unam azymam valentem duos solidos, quorum solidorum centum et viginti octo nunc pro floreno currunt. Et similiter de qualibet villa unum cubulum vini et duos cubulos avene solvent. In oppido autem quartam partem unius boni peccoris, duos cubulos avene, et de qualibet sessione unum pullum et similiter unam azimam valoris predicti.

De decimis vinorum et porcorum.

Decime vinorum dicabuntur ut prius, et porci similiter, hoc tamen adiecto, quod si aput aliquem porcus decimus defuerit, extunt novus dicari possit; ubi vero et novem deessent, extunc de incolis ipsius provincie de singulo porco duos denarios monete usualis aut duos solidos solvent, de extraneis autem quid exegi debeat, arbitrio exactoris et decimatoris relinquatur.

Porci autem, qui a festo Penthecostes usque ad ipsorum dicacionem nascentur, anno ipso non dicabuntur.

Item, volumus, quod nullus ex dictis iobagionibus nostris usque ad dicacionem porcorum, preter scitum et voluntatem comitis nostri aut wayuode, ultra quatuor porcos in fraudem dominii nostri sub ammissione omnium peccorum suorum etiam in qualicumque necessitate vendere valeat.

Item, terras, extirpaturas nemini alteri nisi vicino ipsorum et in eisdem villis commoranti vendere possint, salvis tamen terris arrabilibus sessionum, de quibus prius exstitit conclusum.

Item, si aliquis terras de rubetis et silvis ad instar unius moderne sessionis extirpaverit, talis infra octo annos nullam de ipsis nobis faciat solucionem, Elapsis autem ipsis octo annis, aut hominem ad ipsas terras locet, aut instar aliorum sessiones tenencium, de eisdem solvat; idemque intelligatur de illis, qui in locis desertis domos edificare et easdem habitare voluerint.

Si aliquis in dictis byrsagiis vel eorum altero condempnatus fuerit, et comiti priusquam mittat ad vadiendum eundem miserit, cum probis hominibus supplicaverit et supplicacionem fecerit, quod tunc quarta pars ipsius byrsagii sibi remittatur, de residuo solvat aut deponat cum comite aut wayuoda prout potest.

Item quod populi iobagionesque nostri tam in dicta provincia quam in oppido commorantes domum nostram communem in dicto oppido sitam, dummodo opus fuerit de novo edificare, semperque reformare et fenilia nostra similiter communia falcare et extirpare tenebuntur.

Item si aliquis notam infidelitatis vel vicium ingratitudinis incurrerit, talis privabitur omnibus bonis per comitem et wayuodam, que nobis tantummodo reservamus.

Item vadum tam in Galya[1] quam in Odra ordinacioni nostre reservamus.

Suprascriptas autem libertates connotatis iobagionibus et populis nostris sic et taliter concessimus et eorum successariis perpetuis temporibus, si a nota infidelitatis et vicio ingratitudinis semper studeant preservare.

XXIV. Jura provinciae sisciensis.

Item decime vinorum dicabuntur ut prius. Que quidem vina thabernarii in eisdem provincia et oppido commorantes, singulis annis a media quadragesime infra octavas festi ressurectionis domini tunc immediate sequentis cessata propinacione et vendicione quorumcumque vinorum aliorum, propinare et finaliter vendere tenebuntur. Ubi vero aliquis sub huiusmodi deputato tempore occulte vel manifeste et in contrarium premissorum aliqua vina propinaret, extunc talia vina in fraudem premissorum propinata occupentur per spanum et vayvodam aut villicum, quorum due partes spano seu comiti, tercia vayvode aut villico, sub cuius officiolatu reperientur, cedere debent. Item porci tam nostrorum colonorum in dictis provincia et oppido zytheczensi comorancium, quam eciam aliorum quorumcunque extraneorum hominum, singulis annis semel et simul, dum nobis videbitur conscribentur seu registrabuntur, et cuiuslibet etatis porci ad singulum numerum conputabuntur. Quaquidem conscripcione facta, conscriptor eorum assignabit in scriptis diem in quo finivit ipsam conscripcionem vayvode seu communitati provincie et oppidi predictorum, a quo quidem die conscripcionis conputando infra eiusdem anni integram revolucionem non fiet alia conscripcio porcorum. Item ab eodem die in qua huiusmodi conscripcio finita fuerit similiter infra unius anni integram revolucionem usque videlicet eundem diem in proximo tunc instanti anno affuturum, universi homines nostri predicti universos porcos quotquot eis aut alteri eorum placuerit, vendere valeant hoc modo, quod antequam eos venderent id ad noticiam comitis ac vayvode vel iudicis deducere tenebuntur, et quilibet eorum alligabitur priusquam exclusis et per spanum seu vayvodam et iudicem electis et sequestratis pocioribus porcis de conscripcione predicta ad nostram decimam cedentibus. Item sicuti una conscripcio sic similiter sin-

[1] Galdovo.

gulis annis eorundem porcorum una erit decimacio. Unusquisque autem tenebitur universos porcos suos tam ad dictam conscripcionem quam eciam ad decimacionem fideliter compellere in unum. Tempore autem decimacionis ante omnia possessor ipsorum porcorum, seu cuius pertinent, eliget sibi de eisdem tres more alias solito, neroztecz, voczka et bosescak[1] vocatos; tandem vero decimator de porcis singulorum annorum seu etatum modo quo supra conscripto, pociorem porcum pro decimacione eliget, decimum videlicet et eciam nonum ubi decimus non fuerit. De reliquis vero porcis hominum nostrorum predictorum, ubi ut prefertur, decimus aut nonus non fuerit, de singulis solventur singuli quatuor denarii viennenses aut duo markethii, more alias consveto. De extraneis autem quid exigi debeat nostro arbitrio committatur. Porci autem qui a festo Penthecostes usque ad terminum dicacionis nascentur non dicabuntur. Item si aliquis ex dictis registratis aut decimatis porcis aliquos commutaverit aut alienaverit fraudem committendo, illius singuli eciam proprii porci nostro occupentur dominio. Si vero de eisdem porcis conscriptis infra decimacionem eorum, novem vel decem aut ultra de porcis eiusdem etatis intelligende morientur, tunc eciam decimalis noster in sortem et numerum eorum mortuorum cedat et computetur; pauciores vero si morientur quam novem aut decem, extunc superviventes tenebitur redimere in decimacione ut superius est expressum. Item, si quis aliquos porcos post dictam conscripcionem vel eciam decimacionem infra festum nativitatis domini emere, vel ab extraneis ad dictas silvas nostras ad pascua impellere voluerit talis antequam eos emerit vel impulerit eosdem spano et vayvode vel eciam decimatori dicere, significare atque demonstrare tenebitur; ubi vero aliqui secus facere presumpserint, illico qui sic empti aut inpulsi fuerint, nostro dominio occupenter. Huiusmodi autem porci, qui post dictam conscripcionem infra festum nativitatis domini ementur seu ad dicta pascua silvarum nostrarum impellentur, semper dicabuntur seu decimabuntur more alias consveto. Item pecunie provenientes de illis porcis qui nonum aut decimum numerum non attingunt solventur tempore decimacionis eorum et non conscripcionis. Decimator autem seu conscriptor dictorum porcorum singulis annis sex descensus in provincia et septimum in oppido zxytheczensi more et in locis habito consvetis, et pro quolibet in provincia predicta dabuntur ei viginti quinque denarii marketi quorum unus facit duos denarios monete viennensis, nec non unus cubulus vini, quatuor cubuli seu chori avene, quinque azimae, quarum valet qualibet duos markethos, quatuor galline et unus capo ac quinque pondera feni, quorum quodlibet pondus unus famulus poterit portare; in septimo vero descensu in oppido dabuntur eidem decimatori sexaginta markethi, duo cubuli avene et quatuor pondera feni, de predictis ponderibus intelligendo nec ad plura danda victualia decimator predictus valeat eos arctari, sed tam pro tem-

[1] Božićnjak.

pore conscripcionis quam decimacionis eisque tantummodo . . . debeat contentari. Hoc autem adiungimus et specificamus, quod decimacio et solucio porcorum hominum extraneorum semper stabit in arbitrio nostro.

XXV. 1472. 1. augusti. Andreas de Zelina propter incorrectos mores proscribitur.

Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, ipso die ad vincula sancti Petri, nos domini infrascripti, capitulariter congregati, considerantes nonnullorum prebendariorum et aliorum subditorum nostrorum mores et vitam incorrigibiles et scandala non solum in clero sed eciam in populo ex eisdem plurima oriri, conclusimus: quod de cetero quicumque talium reperiretur, monitione saltem bina ad maximum premissa, et presertim qui dominos non honoraret aut aliquibus verbis afficeret iniuriosis, ex tunc ipso facto prebenda sive ara aut aliquocumque officio in ipsa ecclesia habito sit privatus, et de medio capituli seiunctus. Et quia Andreas de Zelina, qui et Baccalarius communiter nuncupatur, qui actenus in prebenda magistri Fabiani de Royscha, non ob sui bonitatem, sed propter dicti magistri Fabiani amiciciam et favorem tollerabatur, multis previis monicionibus salubribus, piis ac paternis, ut vitam emendaret, acusatus sit, nec illam emendare curavit, quin potius in dies deterior fit, hiisque non contentus, die hodierna aperto ore, in estu temerario et insulto impudico in medium nostri veniens plures ex nobis et nostris irreverenter verbis impudicis, inhonestis et iniuriosis affecit; nolentes itaque eidem similia pati de cetero, eundem dicta sua prebenda privandum duximus et de medio nostrum exulandum et proscribendum perpetuo, ymmo privamus, excludimus et proscribimus, mandantes preterea sub eadem pena omnibus et singulis decano et prebendariis ut eundem de cetero vitent et ipsum societate et consorcio privent et nec sibi hospicium, auxilium et consilium de cetero faciant. Pro qua conclusione future tenenda unusquisque nostrum hic se manu propria subscripsit Mathyas, prepositus chasmensis, manu propia. Andreas, archidiaconus dubicensis, m. p. Martinus, archidiaconus Waska, m p. Georgius, archidiaconus de Bexin, m. p. Sigismundus, archidiaconus in Varasd, m. p. Georgius, archidiaconus Vrbowcz, m. p. Ladislaus custos zagrabiensis, m. p. Fabianus de Roycha, m. p. Elyas custos chasmensis et canonicus zagrabiensis, m. p. Gerardus de Patak, m. p. Thomas Thompa, m. p. Demetrius Seleticz, m. p. Michael Raffnicz, m. p. Fabianus de Zinche, m. p. Georgius Megyscheyre, m. p.

XXVI. 1473. 6. julii. Statutum de munienda area capitulari.

Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio in octava beatorum Petri et Pauli apostolorum, domini capitulariter congregati ad infrascriptam capituli municionem utpote circumsepcionem et aliorum ingeniorum ordinationem concluserunt firmiter

observandum, quod quilibet dominorum presencium et pro currens absencium proprios ipsorum colonos ad commissionem et mandatum dominorum capitaneorum ad id deputatorum pro laboribus et municionibus in ipso capitulo faciendis compellere tenebitur, ac dum ipsi labores fient per se vel ipsorum hominem, circa eos stabunt et labores perficere cogent tociens quociens opus fuerit et necesse. Item quod quilibet colonus de unoquoque bove unum currum virgultarum adducere debebit, illi vero qui bobus carrent virgulta seccabunt, curribus imponent et sepes iuxta limitacionem eorumdem capitaneorum facient. Quicumque autem predictorum dominorum sive procuratorum hoc facere neglexerint in pena duorum florenorum auri ipso facto sit convictus, nulla penitus gracia in eisdem sibi facienda.

XXVII. 1473. 17. augusti. Distributio pixidum sive bumbardarum manualium.

Dominus prepositus maior. Dominus lector, habet IV. Dominus cantor, habet II. Dominus prepositus chasmensis. Dominus kathedralis. Dominus dubicensis, habet IV. Dominus kamarchensis. Archidiaconus goriczensis. Archidiaconus Kemlek, habet III. Archidiaconus Vaska. Archidiaconus chasmensis. Archidiacoous Bexin, habet II. Archidiaconus Varosd, habet II. Archidiaconus Vrbowcz, habet II. Custos. Jacobus doctor. Elyas, habet II. Thomas Thompa. Gerardus de Pathak, habet II. Blasius doctor, habet III. Michael Rayffnicz, habet II. Georgius Medzthregnew, habet II. Georgius de Gorbana. Fabianus de Zemche, habet II. Galasius doctor. Stephanus de Vizlicza, habet II. Petrus de Vizoka, cum magistro Gerardo. Johannes de Roycha. Dominus Georgius suffraganeus. Georgius de Miletincz. Georgius de Zthenichnyak.

XXVIII. 1474. 12. januarii. Statutum de taxa contributionali.

Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, domini capitulariter ad sonum maioris campane congregati, attendentes ecclesie grave propter non solucionem taxe regie maiestatis per Nicolaum Posegay et Benedictum Herdeli exigentis, non valentes eandem per alia remedia ab ipsis colonis nostris recipere, concluserunt unanimiter incommoda et dampna evitare, quod quilibet de suis colonis presens, absens vero per suum procuratorem hinc ad feriam sextam proximam, sub pena amissionis predii per unum integrum annum, similiter consortii et proventuum canonicalium, hac idem intelligere volentes de prebendariis et rectoribus altarium qui colonos in stibra et dominio dominorum habent. Conclusum est hoc in sacristia exteriori feria quarta post festum sancti Pauli primi heremite, et volunt, quod nulla gracia fiat alicui super premissis, nisi omnino et stricte presens conclusio teneatur. Preterea concluserunt sub eadem pena, quod quilibet sine diminucione suorum colonorum de fumis cum nominibus scriptum planum omnium ipso die cumportent. Presenti conclusioni interfuerunt domini infrascripti:

lector, cantor, dubicensis, Waska, Bexin, Warasd, custos, Elias Tompa, Rayffnicz, Georgius Medzthenew, Fabianus de Zinche, Georgius de Milethyncz. Conclusum est per dominos feria sexta proxima post festum beate Barbare ut quilibet dominorum feria quarta proxime ventura deponat in capitulo hic taxam regiam, que fuit posita per quinquaginta sex solidos latos, sub pena suprascripta.

XXIX. 1475. Statutum de decimis quomodo solvi debeant capitulo in Zagoria.

. . . . . [1]

Simili modo procedent decimatores in aliis possessionibus et locis in Zagoria ubi nobis decime proveniunt. Item a solucione decimarum erunt liberi dumtaxat domini comites perpetui et universi nobiles in Zagoria, nec non walpothi seu officiales, alio nomine ryhtardi vocati, pro tempore constituti. Item homo banowech dictus. Item precones, videlicet: sub castro Krapina, tres, sub Oztercz, tres, sub Lobor, tres, sub Trakosthan duo, sub Kamenycha, duo, sub Kosthell, duo, sub Belcz, duo, sub Vrbowcz, duo. Item nobiles habentes quinquaginta iobagiones, unum preconem liberum habebunt. Item liber erit hospes ipsorum decimatorum, cuiusquidem hospitis decime si se non extendant ad expensas decimatorum, extunc decimatores de residuo ipsum hospitem contentare tenebuntur. Neque talis iudex vel officialis ipsos decimatores diu pausare permittet, quinymmo mox, ut ipsi decimatores voluerint, cum eisdem homines predictos deputabit, qui eos custodire habebunt sine dolo et fraude et eis assistenciam facient fidelem; et quod decimatores adventum suum tempestive eisdem significabunt. Item nullus castellanus castrorum predictorum, aut eciam officiales predicti importune petent aut angariabunt decimatores ad dandam sibi aut libertandi aliquos iobagiones a solucione decimarum, preter supradictos. Item nobilis, qui decem iobagiones non haberet, aliquem iobagionem suum a solucione decimarum libertare non poterit. Inquilini vero, si terras sessionum iobagionalium non tenuerint, talium quilibet solum per unam gallinam pro usu ipsis decimatoribus dabit; ubi vero ex parte alicuius inquilini decimatores dubitabunt an sit verus inquilinus vel non, seu si terras sessionum coluerit, vel non, extunc super veritate huius rei experienda decimatores valeant exigere iuramentum a domino ipsius inquilini, officiali carente, alias ab officialibus predictis; quod si ipse nobilis aut officialis prestare recusaverit, extunc inquilinus huiusmodi dicatur instar aliorum iobagionum, ut superius est expressum. Item, qui habet decem edos aut agnellos, decimam exsolvatur; si autem decimum non fecerit, extunc de singulo unus obulus monete viennensis exolvatur. Item, qui decem troncos apum habuerit, decimam exsolvatur more alias consveto, alioquin de singulo unus denarius viennensis monete predicte reci-

[1] Deest unum folium.

piatur. De porcis vero, volgo palicha[1] dictis, sex denarii viennenses, monete predicte recipientur, more ut alias consvetum erat. In dicacione vini in tenutis et possessionibus predictis, post festum beati Michaelis archangeli quamprimum decimatoribus videbitur, singulis futuris annis, modo supradicto procedetur; ducentur enim decimatores ad singula celaria et ad alia loca et domus ubi vina reposita fuerint, et similiter singulum decimum cubulum vini dicabunt. Item inquilini, qui vineas habebunt ad instar aliorum iobagionum dicabuntur ad singulum decimum cubulum vini. Item singulariter cubuli vini decimales solventur per sex denarios viennensis monete predicte, aut si mutaretur moneta predicta ad valorem eiusdem, prout superius de solucione capeciarum bladi per omnia est expressum. Item in dicacione vini similiter nemo erit liber a solucione decimarum preter supradictos circa dicacionom bladi designatos. Item tempore dicacionis vini decimatores habeant victualia et hospicia sicuti tempore dicacionis bladorum. Item negativa tam bladi quam vini, ubicumque decimatores suspicionem habebunt, possint libere perquirere sine aliquo birsagio et turbacione; que si invenerint, due partes erunt decimatoribus, tercia autem pars erit predicti officialis et banowecz. Item ubi in acervis bladorum aut vasis vinorum de numero capeciarum aut cubulorum vini dubitaretur, decimator ex tunc ab illo cuius fuerit acervus vel vas vini possit decimator, si ei placuerit, super veritate huius rei aut exigere iuramentum aut distrahere decimum seu educillare vas vini et mensurare. Item statuimus, quod antequam incipiat distrahere aut educillare decimator, deponat unum florenum ad manus banowecz, tamquam ad manus communes, quo facto si distraxerit aut educillaverit et plus invenerit quam is cuius foret assererit, extunc superfluum libere recipiet decimator, et banowecz florenum apud se depositum eidem decimatori sine difficultate aliquali restituat; ubi autem invenerit minus aut pretese tantum quantum is cuius foret dixerit, extunc pro talis modi distraccione seu educillacione banowecz antedictus florenum apud se depositum dampnum passo assignet. Item dabitur sedecimus denarius de ipsis decimis, monete predicte, walpotho seu officiali predicto, et eciam officiali nobilium predictorum, nec non et nobilibus, qui officiales habere non possunt iuxta declaracionem superius factam, et hunc sedecimum habebunt pro labore suo, quem facere debebunt in execucione decimarum tam vini quam bladi prout inferius patebit. Item si aliquis iobagio dicatus ad decimam infra tempus solucionis de tenutis in quibus eum dica reperit ad alia loca recesserit moraturus, extunc officialis aut nobilis officialem non habens, locum, in quem recesserit, decimatori dicere et indicare tenebitur, eciam sub juramento, si decimatori videbitur; quod si alique res illius, qui sic recesserit apud eundem officialem seu dominum suum aut nobilem remanserint, de quibus eiusdem decima solvi posset, quas res similiter sub juramento si decimatori

[1] Polića, seu pol lieta i. e. dimidii anni.

videbitur revelare teneatur, extunc decima de illis persolvatur. Item premisse decime bladorum, vinorum et aliarum rerum superius expressarum solventur singulis futuris annis in terminis infrascriptis: primus terminus solucionis ante festum purificacionis virginis Marie, in quo termino decimator vadat ad loca deputata, videlicet ad ecclesias parochiales, in de Krapina, in Pregrada, in Bedna, in Zaezda, in sub Oztercz, in sancti Michaelis de sub Komor et in sancte crucis de Insula, aut in parochia eiusdem sancte crucis ubi decimatori videbitur. Ad que loca officiales seu nobiles officiales non habentes teneantur convocare singulas decimas solvere debentes. Decimator tamen intimet per homines suos officiali, quo die ad aliquem locorum predictorum venire voluerit, ubi si ipsas decimas non persolverint, decimator relinquat paria registrorum aut dicarum apud officiales seu nobiles predictos; quiquidem officiales seu nobiles usque ad octavas festi pasche domini inclusive, ipsas decimas plenarie exigere et ipso octavo die festi pasche domini manibus decimatorum ex integro assignare teneantur, quod si facere neglexerint, extunc sedecimo, qui eis racione laborum, quos in execucione huiusmodi habere deberent, proveniret, careant, nec non decimas tam bladorum quam vinorum et aliarum rerum superius expressarum, iidem officiales et precones ac eciam banowecz ad instar aliorum iobagionum solvere debeant et teneantur; et insuper iidem officiales, precones et banowecz sentenciam excommunicacionis incurrant ipso facto, iobagionibus autem non solventibus serrissimum ecclesiasticum observetur interdictum, demum vero liti, cause, questioni, accioni, querele, controversiis et discordiis, cum earum emergendis et dependendis et convexis et que ex ipsis verisimiliter oriri possent, nec non iniuriis, expensis, dampnis et interesse quibuscumque ac aliis quibuscumque punctis et commissionibus seu citacionibus impetratis vel impetrandis et omissis seu omittendis specialiter vel generaliter factis vel fiendis et expressis seu exprimendis, quos racione premissorum contra et adversus prelibatos dominos Georgium, Johannem, Wilhelmum et alios quos supra usque ad presens habebamus et habere pretendebamus, cessimus et renunciavimus, cedimusque et renunciamus realiter et expresse, et ad maiorem securitatem et corroboracionem omnium et singulorum premissorum et infra dicendorum nos capitulum predictum in manibus notariorum infrascriptorum tanquam personarum autenticarum rite et legitime stipulantes vice et nomine omnium et singulorum quorum interest, intererit aut interesse poterit quomodolibet in tuturum solemniter promisimus et promittimus huiusmodi presens promissum ac omnia et singula premissa et in eis contenta semper et perpetue rata, grata et illesa servare, tenere et observare, nec in toto aut aliqua sui parte viciare, impedire seu infringi modo aliquali, et insuper promisimus et premittimus solemniter et expresse ac per solemnem stipulacionem intervenientes, quod nos per se aut alium aut alios directe vel indirecte, palam seu occulte aliquid non attentabimus circa causas et lites ac omnia et singula premissa,

seu procurabimus aut impetrabimus quitquid in preiudicium premissorum, sed omnia et singula premissa in suo robore firmiter, fideliter et illese permanere debent sub pena perdicionis cause et causarum predictarum ac quatuor millium ducatorum de camera in pecunia aurata ante ingressum litis deponendorum, quorum duo millia camere apostolice et alia duo millia eisdem comitibus et nobilibus danda sunt et deberi exsolvenda, et premissis omnibus et singulis attendentes, consulentes et inviolabiliter observantes nos omnia, et quelibet bona nostra mobilia et immobilia ecclesiastica videlicet mundana, ubicumque existencia, si et in quantum in premissis non perstiterimus aut in aliquo premissorum sponte et benivole obligavimus solemniter et ypotecavimus per dictam cameram apostolicam esse compelendos constitucionibus apostolicis et canonum statutis ac modificacionibus regalibus ac aliorum quorumcumque in contrarium premissorum facientes et presertim, quod capitulum sine legitimo consensu episcopi in aliquo negocio perpetuali se obligare non poterit et ..... non obstantibus quibuscumque. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem, robur et testimonium perpetuo duraturum, presentes litteras nostras sigilli nostri appensione et notariorum infrascriptorum subscripcione privilegialiter et instrumentaliter confectarum fecimus et rogavimus communiri. Acta sunt hec et facta, anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, die quarto mensis januarii, indiccione octava in interiori sacristia ecclessie nostre predicte. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providencia pape quarti, anno eiusdem quarto, presentibus honorabilibus et nobilibus viris Johanne plebano ecclesie beate virginis de sub Kemlek minori, Simone de Popovecz, Elia de Melethyncz et prebendario chori ecclesie nostre predicte, Martino de Lestakowcz, Stephano de Themerye et aliis quam pluribus testibus fidedignis ad premissa specialiter vocatis, rogatis et requisitis.

Et ego Johannes Stephani de Draskowcz, clericus zagrabiensis dyoecesis, sacra imperiali auctoritate notarius publicus, quia premissis convencioni, conclusioni, concordie, liti et cause, cessioni, renunciacioni, promissioni, ratihicacioni, obligacioni et ypotecacioni aliisque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur una cum connotario subscripto et testibus suprascriptis presens interfui, eaque omnia et singula premissa sic fieri vidi et audivi, ideo presentes literas privilegiales et instrumentales manu mea scriptas, sigilli eciam capituli predicti appensione communitas exfeci et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis in talibus fieri solitis et consvetis consignavi rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Et ego Dyonisius Jacobi de Oryawar, clericus quinqueecclesiensis dyoecesis sacra et imperiali auctoritate notarius publicus, quia premissis convencioni, conclusioni, concordie, liti et cause, cessioni, renunciacioni, promissioni, ratihabicioni, obligacioni et ypotecacioni

aliisque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur fierent et agerentur una cum connotario et testibus suprascriptis presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ideo me presentibus litteris privilegialibus et instrumentalibus manu propria, notarii predicti sigilli et capituli predicti appensione communitis subscripsi signoque et nomine meis in talibus fieri solitis et consvetis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

XXX: 1476. 2. julii. De poena illorum qui taxam regiam non solverint.

1476. In festo visitacionis virginis gloriose, domini capitulariter concluserunt, quod quicumque dominorum usque proximum diem dominicum inclusive, de prediis suis presentem taxam regie maiestatis non solverint vel non solverit cum effectu, talium predia seu predium spanus noster nobis occupabit infra unius anni spacium; et nichilominus talis non solvens, eciam canonicali porcione et consorcio nostro carebit infra eiusdem unius anni revolucionem.

XXXI. 1476. 19. augusti. Qui in termino praefixo non deponunt proventus capitulares, qua poena puniantur.

Conclusum est capitulariter, quod quicumque anni preteriti debitum proventus et intrate mense capitularis hodie usque horam vesperarum non persolverint iuxta statuta et obligamina ipsorum, quod extunc sint privati consorcio, proventibus canonicalibus et predio tamdiu, quoadusque persolverint ad plenum et a dominis meruerint graciam optinere. Facta est hec conclusio in profesto sancti regis Stephani. Anno domini MCCCCLXXVI.

XXXII. 1477. 7. januarii. De locatione et conductione reddituum de Toplica quaedam praescribuntur.

Anno domini MCCCCLXXVII., feria quarta post festum Epiphaniarum. Domini capitulariter congregati unanimiter concluserunt, firmiter abservandum, quod illi vel ille qui conducent Toplicam, sive obvenciones eius consvetas, infrascripta observabunt et signanter de anno presenti.

Primo, quod locator sive arendator seu locatores vel arendatores, pro custodia castelli tenebunt sallariatos sex famulos cum balistis, et ipsos conservabunt de propriis sumptibus, et castellum in bona custodia observabunt, ac ipsum castellum edificari faciant, seu ipsius edificiis diligenter superintendant.

Secundo, quod de anno presenti vina dicata per dominum cantorem et magistrum Paulum, superflue dicata, rectificentur.

Tercio, quod de anno presenti vina decremata, atque secta, sive effusa per Turcos, a talibus quibus illa dampna illata sunt, non exigantur.

*

Quarto, quod fruges combuste decimales per Turcos ab illis, quibus talia facta sunt non petantur, que evidenter fuerint probata.

Quinto, quod ab illis, quibus gracia facta est in dacio annuali, idem dacium usque ad tempus concessum eisdem, non exigatur.

Sexto, quod in terminis statutis sine omni dilacione debita persolvant.

Georgius episcopus Rosonensis ac suffraganeus ecclesie zagrabiensis per hec scripta manus mee promissimus supradictum registrum observare.

Id ipsum ego Thomas Thompa interea observare promitto.

XXXIII. 1477. 10. januarii. Fabiano nepoti can. Pauli de Miletinec praestationes capitulo obvenientes in oppido sisciensi decursu novem annorum relaxantur.

Feria sexta post festum Epiphaniarum domini anno 1477, domini dederunt Fabiano nepoti magistri Pauli de Milethyncz libertatem novem annorum, eximentes eum ab omnibus daciis et proventibus, demptis muneribus et eciam a solucione quadraginta porcorum decimalium, si tamen ultra XL porcos habebit, tunc solvet de illis, eciam infra eosdem IX annos. Cuius litterarum tenor est:

Nos capitulum ecclessie zagrabiensis memorie commendamus per presentes, quod nos peticionibus honorabilis magistri Pauli de Milethyncz concanonici nostri favorabiliter inclinati, presertim attento quia Fabianus nepos seu consanguineus eiusdem magistri Pauli domos competentes in sessione quam condam Segyak et Tomasyth tenuissent in oppido nostro zytheczensi in loco videlicet deserto, per nos sibi perpetue collato disposuerit et edificaverit meliores et decenciores, quantum poterit, in eodem loco disponere promiserit et seipsum ac heredes suos ad nostra in perpetuum fidelia obtulerit servicia; ideo nos eundem Fabianum infra revolucionem novem integrorum annorum a data presencium, immediate computando ab omnium nostrorum proventuum, taxarumque ordinariarum et extraordinariarum, scilicet decimalium, porcorum solucionibus et exaccionibus duximus eximendum et graciose supportamus, demptis dumtaxat muneribus consvetis; nec non si idem Fabianus ultra quadraginta porcos in tenutis seu silvis nostris tenuerit extunc eciam infra predictos novem annos de porcis qui dictum quadragenarium numerum excedent nobis decimam wigo kernyaze solvere tenebitur testimonio presencium mediante. Datum feria sexta proxima post festum epiphaniarum domini. Anno eiusdem 1477.

XXXIV. 1477. 18. augusti. Statutum de locandis civibus in area capitulari.

Anno domini MCCCCLXXVII., feria secunda infra octavam assumpcionis sancte Marie virginis infra missarum sollemnia, ad sonum magne campane, domini capitulariter congregati ordinaverunt et sub

penis infrascriptis concluserunt manibus propriis se subscribentes, firmiter observaturi. Attendentes, quod municio capituli sine populi inhabitacione nullatenus custodiri et defendi possit, quod quicumque ex dominis loca in curiis sive ortis pro disposicione domorum inhabitare volentibus iuxta limitacionem et ordinacionem illorum, qui per dominos ad id fuerint deputati dare seu admittere recusaverit, aut quoquomodo contradixerit, quod extunc sine omni misericordia proventibus et consorcio canonicalibus tamquam infidelis et periurus privabitur eo facto, ex eo quod contra comodum et utilitatem reipublice iudicabitur rebellare. Johannes lector et canonicus, manu propria. Georgius episcopus rosonensis m. p. Demetrius, kathedralis, m. p. Andreas, archidiaconus dubicensis, m. p. Georgius, archidiaconus de Bexin, m. p. Ladislaus custos, m. p. Elyas, custos chasmensis et canonicus zagrabiensis, m. p. Thomas Thompa, m. p. Michael Reyffnicz, m. p. Fabianus de Zinche, m. p.

XXXV. 1478. 17. februarii. De edificandis domibus per capitulares in villa Nova ves nuncupata.

Anno domini MCCCCLXXoctavo, feria tercia post dominicam Reminiscere, ad sonum maioris campane, domini capitulariter congregati, concluserunt, quod quilibet dominorum aut per se aut per colonos predii sui disponat domos duas et pretorium competens in loco sibi deputato in vico noviter per capitulum pro habitatoribus deputato, et hoc usque ad festum beati Martini proxime affuturum. Pena non facientis; privetur predio suo et proventibus festi nativitatis domini; robora autem huiusmodi domorum succidantur in silvis communibus ubicumque.

XXXVI. 1478. 30. junii. Observanda quaedam de sigillatione disponuntur.

MCCCCLXX octavo, feria tercia in festo commemorationis sancti Pauli apostoli, hic in sacristia, dominis ad hoc specialiter congregatis, videlicet: lectore, cantore, suffraganeo, dubicensi, Kemlek, Vaska, Bexin, Vrboucz, custode, Elya Soploncza, Rauffnicz, Petro, Francisco, Luca, Paulo, Clemente, dominus archidiaconus chasmensis, renuntiavit primo sigillaribus, dummodo in fraudem suam non fiat sigillatio. Secundo quitquam capitulum decreverit quadocumque in absentia ipsius domini archidiaconi chasmensis, sive in rebus agendis, sive in distributione et dispensatione proventuum ecclesie, idem archidiaconus chasmensis non contrariabitur, dummodo sibi de proventibus assignetur portio, sicut aliis ex dominis proventus habere debentibus. In rebus autem gravibus et majoribus, ubi absentes de jure vocari debent, ipse archidiaconus eciam debebit vocari. Studentibus eciam, quibus per capitulum proventus deputabuntur, ipse archidiaconus non contrariabitur nec turbabit.

Super hac re dominus suffrageneus ex parte eiusdem archidiaconi ibidem presens coram Mathia notario sedis vicariatus et testibus expresse assecurat capitulum, et se posuit fideiussorem dominis de capitulo.

XXXVII. 1478. 15. septembris. De custodienda munitione capitularis areae diu noctuque.

Anno domini MCCCCLXXVIII. suprascripto, feria quinta[1] in crastino exaltacionis sancte crucis, in sacristia exteriori, domini pro tunc congregati, attendentes nonnullorum fratrum suorum super constitucionibus factis non observacionem, ac illorum, qui sunt absentes, qui .. ad plenum porcionem canonicalem habere contendant, quemadmodum et presentes, qui pondus diei et estum sufferunt, tamen illis, quibus debent officiis et oneribus minime insistere curant, aut suis officialibus adimplere committunt, propter que non solum negligencie in ecclesia, sed et in custodia municionis ad quam omnes debemus, et presertim tempore insultus Turcorum commituntur. Et ne talia in cassum fierent et ordinaciones salubres de cetero, matura deliberacione statuerunt, ordinaverunt et firmiter observandum concluserunt, quatenus dum et quando officialis super talibus constitutus alicui dominorum custodiam nocturnam vel diurnam iuxta ordinacionem dominorum factam indixerit, omni sine negligencia et contradictione eandem adimplere tenebitur; qui autem hoc sive negligenter sive aliquovismodo adimplere non curaverit, pro primo puniatur floreno uno, pro secundo autem portione canonicali illius anni, pro tercio autem, quod absit si negligens fuerit aut incurius predio canonicali sine omni gracia privabitur. Quisquis autem pro eo loqui vel intercedere ausus fuerit, penam se periurii senciat incurrisse ipso facto, ad quam domini vicarii auxilium licet extunc implorare, quam incurisse eundem declarabit.

XXXVIII. 1478. De locationibus decimarum statutum.

1478. Conclusum est per dominos, quod hii qui locaverunt decimas, solvant in florenis, sin autem in moneta nigra sex pensas cum media, aut in moneta regali per centum, pro solidis autem antiquis nonaginta sex, in merculinis autem sicuti sex pense et VIII. merkethas, hoc est XXXII. grossos.

XXXIX. 1480. 28. julii. Absolutorie capitulo datae ex parte Andreae, archidiaconi dubicensis, de solutis detentis proventibus.

Quia venerabile capitulum huius alme (ecclesie) zagrabiensis, me magistrum Andream, archidiaconum dubicensem et concanonicum eorumdem de proventibus canonicalibus, alias tempore infelicis mee detencio-

[1] Rectius tercia.

nis, retentis et non solutis, ad presens me contentum reddiderunt; ideo ipsos de eisdem absolutos ad plenum, quietatos facio pariter et absolutos ..... propterea simpliciter pure et propter deum ..... promittendo, salvo eo, quod idem venerabile capitulum michi iusticiam faciet requisitum de dampnis eatenus illatis. Datum, actum et factum feria sexta post (festum) Jacobi apostoli, anno domini MCCCCLXXX.

XL. 1481. 31. augusti. Colonis de Brestje, praestationes suo praediali debitae, relaxantur.

1481. Feria sexta proxima ante festum beati Egidii abbatis domini capitulariter congregati, colonis honorabilis magistri Luce de Dombro canonici moderni, porcionati de Brezthye, hanc graciam fecerunt, quod videlicet ipsi et quilibet eorum de integra sessione annuatim solvet domino suo unum florenum auri adinstar colonorum de Omnium sanctorum, unum plaustrum feni, unum plaustrum lignorum natalium et muneralia alia consveta. Item obligabuntur sepire curiam more solito, consentiente ipso magistro Luca et in nullo contradicente. Item obligabuntur decimas tritici et millii.

XLI. 1481. Quod tributa et thelonia in parata pecunia exarendentur.

Anno domini 148 primo, conclusum est capitulariter, quod tributa nostra zagrabiensia et de Czerye singulis ammodo futuris temporibus ad omnem eventum, hoc solum casu dempto, quod si thelonia nostra prefata, quod deus avertat, aliquo casu occuparentur per potenciam, semper in paratis pecuniis arendentur, hoc declarato, quod et iste casus occupacionis cesset si deposito prius iuramento habeat conductor pecuniam corporalem.

XLII. 1482. 8. martii. Copia libertatum oppidi sew possessionis de Zyzek ac eciam tocius provincie eiusdem Zyzek sew Zythecz.

Capitulum ecclesie zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, presencium noticiam habituris salutem in omnium salvatore. Cordi nobis semper est, ac cura pervigili continue meditamur, ut ne de in rebus ecclesiasticis, quam nobis prima ac precipua solicitudo ante oculos nostros posita est, reddamur diligentes, verum eciam in bonis et possessionibus nobis et mense nostre capitulari temporaliter subiectis eam diligenciam ac solerciam, eam denique moderanciam et ordinem adhibere debemus, quatenus ex eisdem favente domino quottidiana comoda et uberiores utilitates consurgant. Meditamur preterea ut pauperibus colonis nostris in eisdem degentibus ita nos reddamus liberales, ut quanto viderint senserintque nostris beneficiis se fore preventos tanto sedulo et fervenciori promptoque et fideli animo nobis suas operas ac servicia exhibere anhelent. Hinc est, quod nos ad humillime supplica-

cionis instanciam fidelium nostrorum wayuode ac villici ceterorumque universorum et singulorum colonorum nostrorum provincie ac oppidi similiter nostrorum de Zythecz nobis propterea sepe sepius porrecte, cupientes ex animo tum nostre tum eciam ipsorum future utilitati prospicere, ultra ceteras libertates libertatumque prerogativas ipsis per nos iam pridem gratiose datas et concessas hanc eciam eis graciosam libertatis prerogativam duximus faciendam et concedendam, ymmo facimus et concedimus per presentes, ut videlicet amodo in antea ipsi et eorum heredes intra metas oppidi et provincie nostrorum predictorum in locis et promontoriis ad hec aptis et congruentibus, vineas novas plantandi, plantatasque atque eciam veteres excolendi, nec non apud vineas huiusmodi congrua celaria erigendi et edificandi habeant potestatis facultatem. Volumus quoque vineas, celaria sew promontoria huiusmodi tali gaudere immunitate, ut si quis ibi quempiam percusserit, wlneraverit, occiderit aut aliam qualemcumque violenciam in personam vel in locum seu res ibi existentes intulerit extunc ultra satisfaccionem parti lese juridice debendam pro effraccione immunitatis et libertatis promontorii illius ut talium quotcumque patratum fuerit in birsagio sew pena decem markarum denariorum monete pro tempore currentis et totidem nostro dominio convincatur et convictus habetur eo facto. Preterea quicumque ibidem sive in vineis sive celariis furtum qualecumque commisserit infra valorem trium florenorum auri, extunc damnum illatum per eum solvat et recuperet, et nihilominus in penam violacionis immunitatis predicte in quinque marcis denariorum monete similiter pro tempore currentis et totidem nostro dominio modo simili convictus habeatur eo facto, ubi vero furtum excesserit tres florenos auri extunc iuridice convincatur ad penam consvetam. Concedimus preterea, quod ipsi vineas ipsorum huiusmodi vendendi, emendi, legandi aut donandi in vita vel in morte liberam habeant facultatem, hoc excepto, quod ecclesiis aut ad alia pia opera nemo possit vineam suam legare aut donare, sed dumtaxat precium earumdem, quia ex hoc possent vinee ipse ad desolacionem devenire, extranei quoque sub his eisdem libertatibus possint et valeant vineas tenere et excolere ibidem. Volumus autem, quod nemo pretextu libertatum huiusmodi valeat sew possit moram facere personalem et continuam apud vineas sepedictas, sed unusquisque in sua sessione iobagionali commoretur. Ceterum ultra premissa id eis graciose indulsimus, ut tam de vineis veteribus, quam novis postquam germinare ceperint, futuris temporibus dumtaxat decimas vini solvere tenebuntur taliter videlicet, quod pro quolibet cubulo vini decimali, qui nunc ibidem quatuordecim pintas zagorienses continere dicitur, singulis annis circa medium quadragesime in prompta pecunia solvent octo solidos latos sive denarios legales, quorum nunc centum valeant unum florenum auri hungaricalem, vel tempore succedente, quo forte mutaretur ipsa moneta solidorum aut regalis ad valorem eiusdem, sic videlicet quod pro quibuslibet duodecim cubulis et medio compleatur

unus florenus auri hungaricalis prout videlicet et nunc totidem cubuli computando per ipsos solidos faciunt unum florenum auri hungaricalem. Item tempore dicacionis decimarum vini, quod erit statim post vindemias omnes simul in singulis promontoriis decimatoribus cum famulis et equis eorum donec perfecerint dicacionem provideant de victualibus honesto et competendi modo. Insuper volumus, quod ubi decimatores supplicabuntur possint libere per quietem vina negata repertaque pro se levare. Item ubi in vasis vinorum de numero cubulorum vini dubitarent decimatores, extunc super veritate huius rei possint aut exigere juramentum ab illo cuius fuerit vinum, aut educilare vas et mensurare; ita tamen, quod decimator priusquam incipiat educilare deponat unum florenum ad manus wayuode vel villici, quo facto, si educillaverit et plus invenerit quam is cuius foret asserit, extunc superfluum recipiat decimator, et villicus aut wayvoda florenum ei restituat, ubi autem invenerit minus aut pretese tantum, quantum is cuius foret dixerat, extunc pro huiusmodi educillacione iniusta wayuoda vel villicus, florenum apud se depositum damnum passo assignet. Ultimo volumus, quod quicumque indagines veteres aut eciam novas ubicumque in provincia nostra predicta erectas, vel eciam erigendas sive eciam metas aut materias vel fossata vinearum et promontoriorum predictorum succidere aut distrahere aut quascumque extirpaciones aut succisiones arborum que nocive essent communitati facere fuit ausus, extunc in quinque marcis denariorum pro tempore currencium et totidem dominio convictus habeatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam per presentes litteras nostras sigilli nostri autentici appensione munitas et roboratas eisdem duximus concedendas et concessimus. Datum feria sexta ante dominicam Oculi mei. Anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo.

XLIII. 1482. 27. junii. Copia libertatum ville Petrovina.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis. Quod nos tum considerata humilime supplicacionis instancia universorum populorum et incolarum nostrorum in villa sew possessione nostra Petrowyna commorancium nobis propterea porrecta, tum eciam diligenti circumspectaque meditacione circa conservacionem status, iuriumque et bonorum possessionariorum dicte ecclesie nostre opportune prehabita, potissime cum iam bona possessionaria nostra et maxime dicta villa Petro(v)yna propter creberimas incursiones Turcorum populis et incolis destituta existat, paucitasque ipsorum iobagionum nostrorum, quos adhuc barbarica servitus mancipare nequivit, eandem condicioni solucionum, obvencionum nobis de ipsa villa proveniencium, qua antiquitus tenebatur ob magnam inopie et paupertatis pressuram non valeat aliquomodo supportare, volentes horum intuitu statum eorumdem iobagionum nostrorum in dicta

Petrovyna nunc et in futurum residencium benignius sublevare, proventus eciam et soluciones nobis et ecclesie nostre ab eis provenientes debito moderamine inferius presentibus declarando limitare, ut sic et populorum multitudine dicta nosta possessio gratuletur, ecclesia eciam nostra ne omnino suis obvencionibus se videat destitutam, sed que in suos damnosam manum hostilem noverit esse vibratam, miciori passione earumdem damnis se noscat inclinatam, per hecque incole ipsi senceriori obediencia et fidelitate nobis et ecclesie nostre reddantur promciores. Articulos quos nobis prefati iobagiones nostri premissa supplicacione obtulerunt super ipsa limitacione status et libertatis eorum acceptantes ac presentibus inserentes perpetuo ipsis incolis valituras seorsim et singillatim duximus specificandos. Inprimis itaque prefati cives sew iobagiones nostri in dicta possessione nostra Petrowyna pro tempore commorantes de singulis earum sessionibus unum florenum auri aut eius valorem in moneta pro tempore currenti, in duobus scilicet terminis, puta, medietatem in festo purificacionis virginis gloriose, et aliam medietatem in festo beate Margarete virginis et martiris singulis perpetuis annis nobis et ecclesie nostre solvere tenebuntur. Item, decimas vini, tritici, ordei, siliginis, avene et milii, alteriusque cuiusvis bladi in specie dare debebunt. Item, de qualibet sesssione duas quartas avene cum mensura opidi Jasthrebarzka et unum caponem ad festum natalis domini. Item ad festum beate Margarete nec non tempore decimacionis frugum, per unum pullum de una sessione dare tenebuntur. Item curiam spanalem ac domum et celarium nostrum ibidem habitum disponere et vineam ecclesie nostre bono modo colere et labores eiusdem quoslibet perficere. Ad ipsam eciam curiam quando spano ipsorum placuerit, semel dumtaxat in anno, de singulis sessionibus per unum currum lignorum ducere erant obligati. Item predictas decimas vini nobis de eorum medio provenire debentes propria eorum in vectura ad cellarium nostrum illac habitum conducere tenebuntur. Item similiter decimas frugum sew bladorum cuiuscumque generis ad orreum nostrum consimiliter propria eorum in vectura conducere et locare atque tritulare ac ad domum seu cellarium nostrum bono ordine inponere habebunt. Item, quod nos singulis annis uno mense, quo maluerimus vina nostra inibi habenda, cessante omni alia vendicione vinorum quorumlibet vendere et propinari faciemus. Item molendinum nostrum ibidem habitum prefati cives sew iobagiones nostri edificari, reformarique et disponere prout hactenus solitum fuit, iuvabunt. Molares autem ad ipsum emere et magistros molitores nos soli exsolvere faciemus. Item prefati cives seu jobagiones nostri ad festum beati Laurencii martiris singulis annis poterunt ipsis iudicem eligere unum ex eis quem voluerint, iudiciaque et alias iusticie administraciones adinstar civium nostrorum de Zythecz et iuxta eorum antiquam consvetudinem facere valebunt. Admittimus propterea, quod domos, fundos, curias seu civilia eorum quibus voluerint dumtaxat inter ipsos commorantibus et non aliis extraneis

hominibus vendendi et disponendi liberam habebunt facultatem. Item quoddam fenile nostrum ultra fluvium Volawlya adyacens, quos (?) alias condam magister Stephanus, Farkas dictus, olim canonicus dicte ecclesie nostre more prediali tenuit extirpare, mundare, falcareque, et fena falcata congregare ad orreum nostrum propria ipsorum in vectura conducere et locare debebunt. Quodque a dicacione porcorum, edorum aut agnellorum et apum, decimum porcum, edum aut agnellum et apem in specie solvere obligabuntur. De residuis vero, qui se ad minus decimum sew nonum non extenderent, de porcis scilicet, per duos denarios viennenses, aut unum marchetum, de edis autem sive agnellis et apibus per singulos unum denarium viennensem solvere tenebuntur. In (cuius) rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras privilegiales pendentis autentici sigilli nostri munimine reboratas eisdem civibus sew iobagionibus nostris de dicta Petrowyna duximus concedendas. Datum in festo beati Ladislai regis. Anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo.

XLIV. 1482. 23. augusti. Copia libertatum ville Omnium sanctorum, post combustionem.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis memorie per presentes. Quod nos attendentes et diligenter considerantes desolacionem et combustionem ville nostre Omnium sanctorum prope Zagrabiam existentis, que his supra proximis diebus per (Turcos) factam fore dinoscitur, et per consequens attendentes ne huiusmodi nostri in eadem villa hactenus degentes dispergantur ob hecque eadem villa nostra amplius desoletur et inhabitatoribus penitus destituatur, ad supplicacionem eorumdem habitancium nobis propterea factam de consensu et beneplacito dominorum et concanicorum nostrorum in dicta villa porcionatorum hanc specialis nostre per gracie prerogativam eis duximus faciendum; quod videlicet a die datarum presencium per continuos quatuor annos sese immediate sequentes a dacio ordinario ab eisdem proveniente et eciam a quibusvis conducturis sew vecturis sint supportati et per omnia absoluti, ymmo eos supportamus et absolvimus vigore et testimonio presencium immediate, ita tamen, quod ipsi pro posse sua edificia sew habitacula congrua infra tempus predictum construere et disponere teneantur et sint obligati, alioquin presens gracia eisdem in nullo suffragetur. Datum feria sexta in vigilia beati Bartolomei apostoli. Anno 1482.

XLV. 1482. Copia libertatum ville Omnium sanctorum prope Zagrabiam per capitulum concessarum.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit universis; quod licet omnes possessiones ad nos mensamque nostram capitularem spec-

tantes et pertinentes ita gubernare et manutenere debeamus, quod pauperes coloni in eisdem degentes, numero pocius augeantur quam minorentur, ad illos tamen forcius viscera pietatis extendere astringimur, qui maiora incommoda et oppressiones validiores, tum per bella, tum vero aliis quibusvis modis prepediti dinoscuntur. Hinc est, quod providi viri Thomas Zudecz, Gywre Pochezanovich, Jantol Nemchith, Lowrek Symmonowych, Iwanus Cherne, Laczk Sebek et Pawel Rochycz dictus, coloni nostri de villa nostra Omnium sanctorum vocata prope Zagrabiam in ipsorum ac universorum colonorum nostrorum in portionibus eiusdem ville residencium, personis, sepe sepius nostram venientes in presenciam, nobis querulose studuerunt declarare: quomodo videlicet ipsi iam a quampluribus annis, tum per incursus Turcorum, tum vero per varios et continuos descensus exercituum nec non et alios quoslibet equites et pedites pretereuntes adeo in bonis et rebus nec non domorum, curiarum et ortorum edificiis dampnificati oppressique fuissent in diesque dampnificarentur et opprimerentur, quod id ibidem ulterius nequaquam tollerari possent, quodque occasione eadem pro maiori parte ipsa villa habitatoribus foret destituta. Quequidem damna et oppressiones eis potissimum accedere solerent eo tempore, quo ipsi a domibus propriis absentes in laboribus solitis, domorum suorum porciones ibidem habencium forent constituti, supplicantes nobis humillime, quatenus si optaremus, quod ipsi ibidem permanere valerent, eademque villa rursus populorum multitudine decoraretur, eos a laboribus dominis ipsorum hactenus exhiberi solitis, supportatos haberi, nec non loco laborum huiusmodi aliquem censum annuum in prompta pecunia per eos in futurum solvenda, deputare graciose dignaremur. Nos igitur attendentes querelas ipsorum memoratas fore veras, nobisque sine dolo et fraude per eos expositas, supplicacione eorum predicta, audita et tandem matura superinde declaracione prehabita, clementer admissa volentes et ex animo cupientes, eandem villam nostram uberiori prerogativa nostre gracie specialis et per consequens pauperos colonos .... ibidem pro tempore degentes prosequi, de consensu et voluntate dominorum fratrum et concanicorum nostrorum in prefata villa nunc porcionem tenencium et possidencium, indulgemus, concedimus et annuimus, ut videlicet amodo et deinceps iidem coloni ad labores predictos per dominos eorum porcionatos nunc et pro tempore existentes minime compellantur, sed loco laborum et serviciorum huiusmodi pro censu sew solucione annuali singulis annis de qualibet integra sessione, sive sit populosa sive deserta unum florenum auri aut eius valorem monete pro tempore currentis in duobus terminis, uno videlicet in festo beati Georgii martiris et altero in festo beati Martini confessoris dominis ipsorum porcionatis pro tempore constitutis et constituendis solvere erunt obligati, hoc tamen expresso, quod de desertis sessionibus in quibus nulla edificia pro nunc existunt infra trium annorum spacium a data presencium immediate sequencium, in quibus vero aliqua edificia existunt infra annum, similiter a

data presencium immediate computando nil solvere tenebuntur. Hoc eciam adiecto, quod si temporum in processu alique sessiones per iniuriam aut culpam alicuius ex predictis dominis porcionatis forte desolarentur et id per inhabitatores eiusdem ville ostendi et comprobari coram nobis posset, quod tunc coloni superstites ad solucionem ipsarum desertarum sessionum non sint obligati. Item eciam coloni sepefati tempore solucionis, feni unum plaustrum, sew de singulis sessionibus populosis tamen, nec non munera consveta ac decimas solitas more aliorum jobagionum nostrorum; item per unum currum lignorum circa festum nativitatis Christi similiter de singulis sessionibus populosis, dominis ipsorum predictis, singulis annis, dominis ipsorum memoratis dare debebunt et administrare tenebuntur. Preterea iuvabunt sepire curias dominorum suorum predictorum, quando id necessitas exposcet, prout eciam hactenus iuvare soliti fuerunt. Ceterum ut eadem villa nostra tantocius populorum multitudine decoraretur, quanto uberiori nostra gracia populi eiusdem se senserint adiuvatos, volumus et concedimus ut amodo deincepe singule sessiones in eadem villa existentes simulcum terris arabilibus et fenilibus ad easdem pertinentibus sint venales, ita videlicet, quod idem coloni nostri sessiones easdem insimul cum terris et fenilibus suis et non alteri inter se aut eciam extraneis, qui illuc de facto commorandi venire voluerant sub nostro sigillo vendere valeant atque possint, non admittimus eis, quod sessiones ipse per extraneos sew alienos sed ab hiis dumtaxat teneantur et possideantur, qui continuam residenciam personalem in eadem villa nostra faciant, alioquin suis sessionibus huiusmodi privati ipso facto et depositi ad colonos residentes devolvantur. Item eciam non admittimus, ut terre et fenilia a suis sessionibus antiquis (separentur) aut sequestrentur. Ut autem presens nostra concessio et gracia eisdem colonis nostris semper suffragari (possit) quod ipsi nobis et ecclesie nostre fideles sint et obedientes. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, presentes litteras nostras privilegiales presentis autentici sigilli nostri munimine roboratas eisdem duximus concedendas.....

XLVI. 1483. 25. februarii. De poena illius, qui clavem scrinii, ubi sigillum capituli conservatur, non deportaverit.

Anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio, feria tercia proxima post festum beati Mathie apostoli, conclusum est capitulariter: quod quicumque clavem ad sigillum tempore sigillacionis munimentorum (non) deportaverit, ille debeat solvere unum florenum auri ad manus custodis, quem idem custos teneatur exigere irremisibiliter, et si non curaret, extunc debeat solvere florenum proprium. Item si aliquem contigerit discedere, habentem clavem dicti sigilli extunc pena sub eadem teneat dare ad noticiam lectori aut suo vicario apud quem ex dominis miserit clavem predictam, aut det eam alicui ex dominis qui claves non habent.

Michael prepositus manu propria, de mandato capituli.

XLVII. 1483. 11. junii. Quod judex capituli provideat ad forum in area capitulari.

Anno domini MCCCCLXXXIII. feria tercia[1] in festo beati Barnabe apostoli, conclusum est capitulariter, quod de cetero spanus sew iudex noster habeat diligenter providere circa forum nostrum hic in area nostra fieri solitum, ita videlicet, quod ipse pro posse suo defendat omnes vendentes et ementes in eodem, et si aliquis presertim ex familia nostrum alicuius, alicui vendenti vel ementi violentiam intulerit, habeat id spanus sew iudex noster ipsum detinendi et incarcerandi plenam facultatem et puniat eum iuxta arbitrium capituli. Quod si dominus sic detenti spanum aut iudicem nostrum molestaret aut impediret, extunc sit privatus nostro consorcio ad arbitrium nostrum. Si vero spanus aut iudex in premissis fuerit negligens aut remissus eandem penam paciatur.

XLVIII. 1483. 15. julii. De exarendatione oppidi Toplica quaedam disponuntur.

Anno domini MCCCCLXXXIII, in festo divisionis apostolorum, conclusum est capitulariter, quod pro hoc anno presenti, quicumque dederit pro Toppliza quadringentos florenos, immediate illi detur et nulli alteri, nec alio modo, alioquin capitulum (mittet) ad dicandum decimas ad communitatem, et commendetur castellum cui (voluerit).

XLIX. 1484. 8. junii. De canonicis tabernariis, et de poena eorum qui ad tabulam luserint.

In anno domini MCCCCLXXXIIII, tercia die penthecostes, conclusum est capitulariter per dominos, quod de cetero quicumque dominorum habuit tabernam in domo sua, quod nequaquam permittat intrare mulieres suspectas et currentes ad vinum bibendum, neque ibidem noctantum, quicumque contra faciat sit privatus omnibus proventibus canonicalibus per integrum annum. Prebendarii vero et alii clerici ecclesie contra facientes ponantur ad turrim per triduum, ubi ieiunent in pane et aqua per eosdem tres dies. Et hoc exequatur dominus vicarius pro tempore constitutus.

Eandem penam paciantur domini et alii clerici qui in tabernis de cetero ad tabulam luserint.

L. 1484. 15. junii. Robertus praepositus propter diversos excessus suspenditur ab officio et beneficio, et a consortio capituli excluditur.

Anno domini 1484. feria tercia proxima ante festum sacratissimi corporis Christi, domini capitulariter concluserunt, quod quia Robertus prepositus propter invasionem bonorum et curie condam

[1] Rectius quarta.

domini Bartholomei cantoris suspensus est a iure ab officio et beneficio et eciam excommunicatus propter incarceracionem et detencionem certorum presbiterorum ac eciam iniectionem violentarum manuum in quemdam fratrem ordinis sancti Francisci minorum, eciam propter eius manifestum periurium et plurima eius crimina; similiter eciam abbas Petrus monasterii beate virginis propter notoriam iniectionem violentarum manuum in dominum Mathiam presbiterum est excommunicatus et interdictus, ideo in divinis officiis presertim ipsis et eorum alteri non communicetur, et si contra hanc conclusionem aliquis contrariaretur conclusit capitulum, quod talis per integrum annum careat consorcio fratrum et omnibus proventibus.

LI. 1485. 4. junii. Molendinum in Toplica confertur Gregorio Vračić, ac Valenti et Benedicto civibus toplicensibus.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit universis, quod nos consideratis et intellectis fidelitatibus et fidelium serviciorum obsequiis providorum Gregorii litterati Wrachych dicti ac Valentis et Benedicti, civium oppidi nostri Toplicensis, nobis et ecclesie nostre predicte temporibus opportunis exhibitis et impensis, quoddam molendinum nostrum in fluvio Toplica decurrens, desertum, intra molendina Fabyani Gayzky dicti, ab una parte, siquidem ab altera Georgii Rakchych nuncupati similiter civium dicti oppidi nostri Toplicensis, situm et habitum, quod alias discreti condam domini Pauli presbiteri prefuisset, per mortemque eiusdem ad nos et ecclesiam nostram prefatam legittime devolutum extiterit et condescensu annotatis Gregorio litterato quoad unam et equalem medietatem ac Valenti et Benedicto quoad aliam consimiliter directam et equalem medietatem dicti molendini ipsorumque heredibus et posteritatibus universis dedimus, donamus et contulimus immo damus, donamus et conferimus presencium per vigorem per eosdem Gregorium, Valentem et Benedictum heredesque ipsorum iure perpetuo et irrevocabiliter tenendum, possidendum pariter et habendum, ita tamen, quod prelibati Gregorius, Valens et Benedictus prescriptum molendinum propriis ipsorum laboribus et expensis denuo et ex novo reformare et reparare debeant; hoc specialiter declarato, quod iidem Gregorius, Valens et Benedictus ipsorumque heredes universi mediam partem proventuum seu usuum ipsius molendini nobis et ecclesie nostre prefate semper temporibus suis extradare et assignare debebunt et tenebuntur, harum nostrarum sigilli nostri appensione communitarum vigore et testimonio litterarum nostrarum mediante. Datum sabato proximo post festum sanctissimi corporis Christi, Anno domini M48 quinto.

LII. 1485. 22. augusti. Oppido ac provinciae sisciensi libertates concessae quoad vinum decimale.

Nos capitulum ecclesie zagrabiensis, memorie commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit universis, quod licet nos temporibus proxime retrolapsis ad humilime supplicacionis instanciam fidelium nostrorum wayuode et villici ceterorumque universorum et singulorum colonorum nostrorum provincie ac oppidi similiter nostrorum de Zithecz inter nonnullas libertates, libertatumque prerogativas mediantibus litteris nostris in pendenti emanatis id eis graciose annuimus, quod videlicet ipsi pro quolibet cubulo vini decimali, qui nunc ibidem quatuordecim pintas zagorienses continere dicitur, singulis futuris perpetuis annis circa medium quadragesime in prompta pecunia solvere teneantur, octo dumtaxat solidos latos sive denarios regales, quorum nunc centum valeant unum florenum auri hungaricalem, vel tempore succedente, quo forte mutaretur ipsa moneta solidorum aut regalis, ad valorem eiusdem, sic videlicet, quod pro quibuslibet duodecim cubulis et medio compleatur unus florenus auri hungaricalis, prout scilicet et nunc totidem cubulos computamus per ipsos octo solidos, faciunt unum florenum auri hungaricalem. Quia tamen iidem fideles nostri ad nos humiliter recurrentes nobis declaraverunt, quomodo pro qualitate temporum modernorum solucio prefata eis esset nimium onerosa, nobisque non mediocriter nociva, eo, quod pretextu ipsius solucionis nedum in futurum vinee augmentarentur, utrum vinee iam exculte in desolacionem redigerentur, supplicàntes nos .. ut saltem pro aliquo tempore ad beneplacitum videlicet nostrum solucionem huiusmodi octo solidorum ad septem solidos sive denarios regales ipsis annuere dignaremur. Ideo nos ad eorum supplicacionem debitum habentes respectum potissimum autem id advertentes ut ipsi vineas successive augmentent et augmentare debeant, maturo super inde prehabito consilio id eis graciose annuimus et concedimus, quatenus singulis sedecim dumtaxat annis a data presencium sese immediate sequentes pro quolibet cubulo vini decimali predictos septem solidos sive denarios regales modo et ordine superius specificatis solvere teneantur; elapsis autem ipsis sedecim annis rursus per octo solidos iuxta vim et formam prenominatam, et in ipsis litteris nostris prioribus superinde emanatis specificatam, singulum cubulum vini decimalem solvere obligabuntur. Hoc tamen specificato, quod ipsi coloni nostri infra ipsis sedecim annis vineas augmentent et augmentare teneantur, alioquin si contrarium per eos fieri senserimus, extunc presens gracia eis minime suffragetur. Volumus autem, quod prescripte littere nostre priores superinde emanate quoad omnes alios articulos inconcussam semper obtineant firmitatem. Postremo addicimus et perpetuis futuris temporibus inconcusse ac sub infrascripta pena observare statuimus, quatenus prenominati coloni nostri simul vel divisim vineas ipsorum pretactas vindemiare seu colligere, uvas earum in toto vel in parte nullo

modo presumant nisi superinde a nobis vel a spano nostro pro tempore constituto prius petita humiliter licencia et obtenta, quod si secus a quopiam presumptum fuerit, penam trium marcarum denariorum pro tempore currentium nobis irremissibiliter persolvendarum incurrat ipso facto, et insuper vinum vindemiatum seu recollectum pro nostro dominio occupetur. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum feria secunda proxima post festum beati regis Stephani. Anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto.

LIII. 1485. 16. septembris. Quot wiennenses quisque canonicorum pulsatori per annum obligatur.

Anno domini 1485, feria sexta post festum exaltacionis sancte crucis conclusum est capitulariter, quod pulsator sive campanator huius alme ecclesie a quolibet absente habeat triginta quinque solidos infra annum ex parte offertorii et aque benedicte diebus dominicalibus et cetera; si autem contingerit aliquem facere minorem absenciam posita una, secundum racionem minus eidem solvat.

LIV. 1487. 30. martii. Prediatibus de Dumkovec restringuntur servicia a colonis praestanda.

1487. feria sexta proxima ante dominicam Judica, per capitulum ad hoc specialiter congregatum conclusum est, quod prediales de Domkoucz, provincie thoplicensis, ammodo et deinceps ad nullos alios proventus sive pecuniarios sive alios quovis nomine vocitatos, nullave servicia sibi per colonos dicti predii Domkoucz solvi et alias exhiberi debent compellere et ortare debeant modo aliquali nisi dumtaxat ad illa, que iidem prediales, aut coloni prenotati in litteris ipsorum habent expressata; quod si secus per quempiam ipsorum predialium contra premissam commissionem quandocumque attemptatum fuerit, ex tunc talis attemptans et dicte commissioni sive conclusioni contraveniens predio suo privetur et privatus habeatur ipso facto, quod quidem predium domini capitulum prefatum alteri conferre aut inscribere habeant facultatem.

Servicia vero eorumdem colonorum, prout postea rescitum est, sunt ista: videlicet quodlibet aratrum duas araturas, unam in autumno aliam in vere ipsis predialibus facere et arare debet, et munera consveta.

Ubi autem ipsi prediales tam de Domkoucz predicta, quam alii prediales omnes et singuli in dicta nostra provincia thoplicensi existentes pro se pretendebant terciam partem marturinarum, quia iidem prediales super hoc hactenus nulla jura produxerint, ideo per nos statutum est, quod de cetero iidem omnes et singuli prediales nullo modo habeant illam terciam partem dictarum marturinarum, sed eedem marturine a colonis omnium predialium pre-

dictorum ex integro et totaliter pro nostra communitate exigantur et persolvantur.

Quod si aliqui ex predialibus predictis aliqua jura super exempcione a taxis nostris extraordinariis ammodo et in posterum coram nobis produxerint, huiusmodi jura eis non observentur, quod et si aliqui haberent talia jura, ex quo ea hactenus non produxerunt, abusi sunt eis, ideo non volumus ea observari.

Cavetur eciam in juribus eorum, que in alio registro in nostra sacristia de verbo ad verbum sunt transcripta, quod nullus eorum extra dictam provinciam nostram residens, predium tenere possit, sed residenciam faciens personalem in eodem, quod nos .. unicuique observare volumus, non violare.

LV. 1487. 4. mai. De equis et pecoribus custodiendis per pastores.

1487. In die Floriani per totum capitulum conclusum est, quod quicumque coloni non custodierint equos suos aut alia quevis peccora a tlacis dominorum et fenilibus, ex tunc huiusmodi equi aut peccora possint ibidem in tlacis et pratis aut fenilibus interfici impune. Si vero huiusmodi pecora in dampno repperiri non possent, extunc talis cuius pecora extiterint, teneatur solvere duplum dampni, aut si certo non possent inveniri tales, quorum pecora dampnum faciunt, teneantur omnes iurare et quicumque iurare recusaret eodem modo teneatur ad solucionem. Ipsi autem coloni nostri inter se habeant in hiis vivendi consvetudinem, ut peccora huiusmodi vel equi in eorum segetibus et pratis reperti non possint interfici, sed dentur villico et fiat estimacio dampni, ut est consvetudo eorum; ratio, quia ipsi tlacas dominorum et fenilia ac prata maliciose erant soliti depascere et devastare, ex eo quia tlace dominorum et fenilia sunt longe et ideo custodiri non possunt, nec est licitum quod rustici nostri sunt judices nostri in estimacione dampnorum per eos illatorum sicut hucusque facere conati sunt.

LVI. 1487. 20. julii. Custodes proventuum capitularium eliguntur.

148septimo, die jovis, hoc est feria quinta proxima ante festum Marie Magdalene electi sunt venerabiles domini: dominus Johannes, archidiaconus kamarcensis et dominus Petrus, custos, et magister Gallus, ita, quod custos fideliter conservet omnes proventus capituli qualitercumque vocitatos, prefati vero domini acceptant tales proventus tam a decimatoribus quam ab aliis debitoribus nostris infra anni revolucionem, de quibus dabunt in fine anni rationem posthac.

LVII. 1487. 9. augusti. De presentandis veris registris decimarum.

1487. in vigilia beati Laurencii concluserunt domini de capitulo, quod omnes et singuli domini decimatores anni preteriti, qui decimas deduxerant, registra vera et non ficta usque octavum diem in sacristia presentare et assignare debeant et teneantur sub pena privacionis proventuum tocius anni.

LVIII. 1487. Contra conductores decimarum, qui in termino statuto nollent aut negligerent pecuniam deponere.

1487. Conclusum est capitulariter, quod amodo et deinceps omnes conductores decimarum nostrarum et spanatuum proventuum debeant solvere plenarie terminos suos secundum statuta, et quod nemo possit recipere sibi aliquos dominos aut rogare ut eos pro porcionibus suis expectarent, neque eciam propriam porcionem quisquam ex eis apud se retineat tempore solucionis, quia per hoc sepe fraus et dolus in capitulo nostro committebatur. Quicumque autem id facere neglexerit extunc porcione sua, que ex divisione illius termini sibi proveniret, sit privatus ipso facto, et nichilominus ad solucionem totalem obligetur tociens quociens id facere neglexerit.

LIX. 1488. 12. mai. Poena contra canonicos a divinis absentes.

Reverendissimus dominus noster Osualdus, dominus et prelatus noster, feria secunda proxima ante festum ascensionis Christi, per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, quod amodo prepositi, dignitarii, archidiaconi et canonici, ubique existant, demptis illis quos ius habet supportatos, qui infra limites huius regni extiterint, debeant ad dominicam de passione domini convenire, et per illa omnia festa perseverare usque ad octavam pasce, item veniant ad festa penthecostes, item ad festum corporis Christi, item ad festa assumpcionis et beati regis Stephani et dedicacionis huius alme ecclesie, item ad festum omnium sanctorum et ad festa nativitatis Christi et epiphaniarum, alias qui non fuerunt legitime excusati privati sint proventibus beneficiorum suorum, qui pro tunc soliti sunt administrari tociens quociens, nisi reverendissima paternitas sua cum aliquo aut capitulum generose dispensabit, pensata tamen racione cause et quantitate persone. Hec ego Andreas arcium et decretorum doctor, archidiaconus kathedralis et canonicus prefate ecclesie zagrabiensis scripsi ex mandato mihi personaliter facto prefati reverendissimi domini nostri zagrabiensis.

LX. 1489. 3. januarii. De festis servandis et celebrandis.

Constitucio infrascripta facta est et conclusa in octava beati Johannis ewangeliste 1489. Festum nativitatis Christi, Stephani prothomartiris, Johannis ewangeliste, beatorum innocentium, circumcisionis, festum epiphaniarum, purificacionis Marie, annunciacionis Marie, ramis palmarum, dies cene domini, parasceues, sacro sabbato, festum re-

surreccionis cum duobus sequentibus diebus, ascensionis domini, festum penthecostes, cum duobus sequentibus diebus, festum trinitatis, festum corporis Christi, nativitatis Johannis baptiste, visitacionis Marie, Marie de nive, assumpcionis Marie, beati regis Stephani, dedicacionis ecclesie, festum nativitatis virginis gloriose, Michaelis archangeli, festivitas omnium sanctorum, concepcio beate virginis.

In prescriptis festivitatibus expediantur divina officia, videlicet: misse, corature, lecciones et ewangelia ac epistole per illos dominos dignitarios et canonicos personaliter, quibus scribetur tabula, aut si per se quispiam ipsorum dominorum dicta officia sic in tabula scripta expedire non posset, teneatur ea expedire per sibi similem vel saltem per canonicum, et hoc semper intelligatur, tam de presentibus quam de absentibus, nam sicut quilibet absencium habet procuratorem ad tollendos proventus, ita eciam habeat supportatorem in divinis. Ubi tamen nullo modo ex quibus bonis et evidentibus racionibus posset expleri aliquod officium per dignitarios aut canonicum, dominus vicarius possit moderari et provideri per mulctas et penas inferius declaratas.

In aliis vero festivitatibus quibuscunque, in quibus similiter solet tabula scribi ipsis dominis dignitariis et canonicis, expediantur misse dumtaxat per illos, quibus tabula scribetur, vel si per se non possent, extunc per sibi similem, aut saltem per canonicum eas celebrari faciant, coraturas autem et lecciones possint expediri per alios presbiteros idoneos aut prebendarios sew altaristas dummodo non sit defectus.

Item in festivitatibus omnibus, quibus maior campana pulsatur, teneantur omnes domini dignitarii et canonici interesse matutinis, quod si quis legitimo impedimento non obstante neglexerit, subeat et solvat penam statut(am) irremissibiliter, iuxta continenciam statutorum.

Item in aliis festivitatibus et dominicis diebus quibus maior campana non pulsatur, nichilominus tamen quibus tabula scribitur, isti dumtaxat domini matutinis interesse teneantur quibus tabula fuerit scripta, alii vero non sint obligati nisi ex beneplacito.

Et ut premissa aliquod robur et firmitatem habeant, ipsique domini, tam dignitarii quam eciam canonici sint diligenciores et prompciores ad exequenda uniuscuisque sua officia statutum et conclusum est: quod quicumque dominorum sive presencium sive absencium neglexerit per se aut saltem per canonicum, salvo tamen semper legitimo impedimento, celebrare et expedire sua officia, extunc de proventibus huiusmodi negligentis pro qualibet missa neglecta xxv. solidi detrahantur, et per dominum vicarium illi detur, qui pro eo celebraverit, dummodo fuerit canonicus, si autem non fuerit canonicus, detur sibi oblacio competens, residuum vero distribuatur scholaribus, procedentibus et pauperibus. Item de choratura detrahantur sol. xii. et similiter fiat. Item de lectione detrahantur sol. vi., et similiter fiat. Item de ewangelio et epistola, tempore quo

reverendissimus dominus episcopus celebrat per se, detrahatur per sol. xxv. et similiter fiat. Item de missis, ewangeliis et epistolis ebdomadalibus si quis dominorum neglexerit aut per se aut per supportatorem, pro quolibet defectu cuiuslibet diei detrahantur sol. xlv., videlicet pro missa xx(x). pro ewangelio x. et pro epistola v, que similiter dispensentur sicut priora.

Ad premissa vero exequenda debeant providere cantor cum suo succentore, qui debeant et sint obligati servare et tenere computum premissorum, et in quantum ipsi non sufficerent dominus vicarius teneat providere cum prius opportunis et superius notatis.

Item, si quis dominorum collateralium neglexerit officium suum tempore opportuno pro quolibet defectu suo detrahantur sol. xxv.

LXI. 1490. 26. julii. De conductoribus decimarum et de regestris eorumdem.

Item conclusum est per dominos capitulariter, quod omnes et singuli domini conductores decimarum perpetuis futuris temporibus omnia vera et non ficta registra sine diminucione aliquali decimarum mense capitulari proveniencium usque ad festum beati Georgii martiris, a die perfeccionis dicacionis ipsarum decimarum immediate conputando, in sacristia ad manus domini custodis sine aliqua remissa presentare debeant sub pena privacionis proventuum proxime instancium divisionum, et sub eadem pena idem dominus custos teneatur huiusmodi conductorem sollicitare ad danda eadem registra, demptis dumtaxat registris decimarum cultellorum de Goricza et Podgorya, que usque festum beati Johannis baptiste a die prefato immediate conputando presentare debeant sub eadem pena.

Item idem intelligimus de omnibus registris omnium et singulorum proventuum nostrorum tocius anni, et quod custos non det huiusmodi registra extra sacristiam nisi dumtaxat ad certum tempus per eundem custodem limitandum, ad rescribendum ipsa registra. Registra vero originalia semper in sacristia maneant. Qui autem comprehensus fuerit falsum registrum dedisse et presentasse tamquam periurus et infidelis sit privatus eo facto consorcio nostro capitulari et proventibus per integrum annum. Datum in festo beate Anne, matris Marie. Anno domini 1490, supradicto.

LXII. 1492. 9. marcii. Stipendium medicinae doctori a capitulo deputatur.

Feria quinta proxima ante festum beati Grègorii pape, domini infrascripti in sacristia interiori capitulariter congregati, concluserunt pro bono communi, quod egregius medicine doctor Heericus Almanus provisionem habebit pro uno integro anno a capitulo quinquaginta ducatos a die quo deponet se hic vel in monte grecensi moraturus, quos quidem quinquaginta florenos domini deputaverunt

apud magistros Stephanum de Hrazthowicza et Johannem Jalsich canonicos, conductores decimarum capitularium de campo et Glawnicza anni proxime preteriti. Michael prepositus, manu propria. Petrus lector, m. p. Georgius episcopus rosonensis, m. p. Kamarcensis Johannes, m. p. Johannes goriczensis, m. p. Blasius Kemlek, m. p. Martinus chasmensis, m. p. Georgius Bexin, m. p. Mathias custos, m. p. Lucas de Dombro, m. p. Paulus Zythicz, m. p. Gallus de Zepnicza, m. p. Stephanus de Crisio, m. p. Stephanus de Hraztlycza, m. p. Nicolaus de Bwcha, m. p. Johannes de Iwanych, m. p. Matheus de Zenthgewrg, m. p. Andreas organista, m. p. Gallus de Simigio, m. p. Magister Paulus de Juanecz, m. p.

LXIII. 1492. 13. decembris. De dicatis porcis sisciensibus Zagrabiam ducendis.

1492. in festo beate Lucie virginis et martiris, capitulariter conclusum est, quod deinceps domini illi qui deputati fuerunt ad dicandum porcos zythicenses seriose committant vayuode et huzoronibus, quod huiusmodi porcos dicatos ipsi ducant ad portum capituli, vocatum Jelenbrod, quod si idem domini secus fecerint, extunc obligati erunt porcum illum solvere, quem nauta solitus est recipere in portu regio.

LXIV. 1493. 26. julii. Populis de villa Kojenik taxa capitulo praestanda relaxatur.

In festo beate Anne, domini capitulariter congregati de populis in villa Koyenik ita concluserunt, quia terras fluvius Sawa eorum ex continua alluviacione inundat, et iam plereque terre et eorum fenilia annihilata sunt, volentes pie providere, decreverunt ut solvant duos florenos, licet alias solvebant quatuor, usque ad beneplacitum, quoniam fortassis fluvius iterato restituet eis terram. Littere tamen non debent eis dari, quousque videbitur per dominos, si successu temporis fluvius Savus addiderit eis aliquid terrarum aut alienaverit. Et hec signatura facta est, ut stibrarii de cetero sciant quid debeant illi pauperes solvere et in quo jure confirmare.

LXV. 1493. 4. decembris. De servitiis colonorum de Ivanjo-rieka et de poena recusantium.

1493. Feria quarta in festo beate Barbare virginis et martiris conclusum est per capitulum, quod coloni de Iwanyareka singulis annis deinceps teneantur ad mandatum sui domini portionati fortificare littora Zawe circa eandem villam existencia adminus bis in anno, dum videlicet eidem domino portionato videbitur, et si necesse erit eciam pluries et tocies quocies placuerit; et hoc debeant simul omnes in quolibet loco ubi necessse erit. Quicumque autem

in hoc rebellis et negligens fuerit, talis pro pena capitulo tenebitur solvere unum florenum et vicinis suis laborantibus tres cubulos vini irremissibiliter. Quod si omnes essent negligentes, extunc quilibet eorum unum florenum capitulo solvere tenebuntur, et nichilominus laborem ipsum debebunt bono ordine perficere, dominus autem porcionatus per se aut per hominem idoneum teneatur ad hoc eos compellere et eciam fortificacioni huiusmodi interesse sub pena privationis porcorum.

LXVI. Senium canonicorum 1493.

Blasius doctor. Georgius, Bexin. Fabianus de Zinche. Petrus, lector. Georgius suffraganeus. Johannes, kamarcensis. Lucas de Dombro. Paulus Zythicz. Johannes, goricensis. Andreas, kathedralis. Bartholomeus, chasmensis. Gallus. Zepnicza. Matheus, dubicensis. Paulus de Roycha. Stephanus de Crisio. Anthonius de Kuthenia. Michael. prepositus. Angelus, Waska. Johannes, Warasd. Stephanus, Hrazthocza. Nicolaus, Bwcha. Andreas, Kemlek. Johannes, custos. Matheus, notarius. Andreas, organista. Andreas, Vrbowcz. Gallus, succentor. Paulus de Iwanich. Nicolaus de Morawcha. Michael de Monozlo. Benedictus de Petrovina. Brucaz. Matheus de Zent-Ivan, sublector.

LXVII. 1494. 4. februarii. Sententia lata contra canonicum Fabianum de Zempche.

Item feria tercia proxima post festum purificacionis beate Marie virginis, hora terciarum mane, de anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, dominis et personis infrascriptis, in sacristia interiori capitulariter congregatis, matura deliberatione sanoque consilio, communi omnium voto contra magistrum Fabianum de Zenthe, canonicum ecclesie zagrabiensis, ratione excessuum et scandalorum suorum sufficienter monitum et emendari non curantem, sentencia pronunciata est modo infrascripto; cuiusquidem sentencie, pronunciationi et declarationi interfuerunt hii domini infrascripti, videlicet Michael, prepositus maior, Petrus, lector, Andreas decretorum doctor, archidiaconus kathedralis, Mathias dubicensis, Johannes kamarcensis, Johannes goricensis, Blasius decretorum doctor de Kemlek archidiaconus, Gregorius Bexin, vicarius in spiritualibus, Johannes Warasd, alter Johannes custos, dignitarii; item canonici simplices Paulus de Zythecz, Lucas de Dombro, Gallus de Zepnicza, Paulus de Roycha, Stephanus de Crisio, alter Stephanus de Hrazthocza, Mateus notarius, Andreas organista, Paulus de civitate et Benedictus de Petrovina.

Cuius sentencie tenor talis est. In nomine domini. Amen. Nos capitulum ecclesie zagrabiensis per hanc nostram sentenciam decrevimus et declaramus, quia magister Fabianus de Zenche concanonicus noster ad sepissimas moniciones nostras a pluribus retro-

fluxis annis et temporibus a consorcio cuiusdam mulieris Dorothea vocate, relicte videlicet condam Mathie Zekirich, tam in vita eiusdem mariti sui quam eciam post mortem suam abstinere et se retrahere, scandalumque perinde comissum emendare non curavit neque curat eciam de presenti, quin pocius per possessiones nostras et ecclesie nostre in scandalum et vilipendium omnium nostrum et tocius cleri huius capituli nostri, eandem publice post se currere fecit et in itinere eidem comes et consocius esse non erubuit. Ideo nos pari voluntate et votis omnium concurrentibus ad sonum maioris campane capitulariter in sacristia congregati ea racione, maturo consilio superinde inter nos prehabito sic ut premittitur, per hanc nostram sentenciam eundem magistrum Fabianum sufficienter tam capitulariter tam eciam per singulares personas fraterne monitum et minime emendatum, eo ad hoc nostri in medium specialiter vocato et comparenti, seque nulla racione excusare valente, consorcio nostro capitulari decernimus esse privandum et privamus in hiis scriptis, donec et quousque de scandalis suis se curaverit emendare et tandem emendatus graciam meruerit obtinere,

Item, idem magister Fabianus ab eadem sentencia nec verbo nec scripto appelavit.

LXVIII. 1494. 19. julii. Particula quaedam silvae populis villae Domkovec utenda disponitur.

Die sabbati proximo ante festum beate Marie Magdalene, anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto. Conclusum est per dominos, quod illa particula silve prenominate quam alias domini de silva populorum prefate ville Ilyncz dictis populis de iam fata Domkowcz sequestrari fecerunt, eo, quod iidem populi de Domkowcz parum de silva hactenus habuerunt, eisdem populis dicte ville Domkowcz utenda remaneat, contradictione dictorum populorum de Ilyncz in aliquo non obstante, iidem populi de Ilyncz de cetero ad eandem particulam silve se intromittere non (presumant), dicti vero populi de Domkowcz sint constituti de ipsa particula prefate silve, et se ulterius de aliis silvis dicte ville Ilyncz omnino contineant. Quecumque autem parcium predictarum contra premissam ordinationem dominorum ratione prefate particule silve parti alteri in eadem ordinatione persistenti, litem movere seu alias inquietata fuerit, extunc talis pars litem movens in duodecim marcis denariorum dominis persolvere convincatur et convicta habeatur eo facto; salvis tamen terris arabilibus ipsorum populorum de Ilyncz infra penes dictam particulam silve existentibus, quas iidem populi de Ilyncz libere habebunt et tenebunt.

LXIX. 1494. Compositio facta cum plebano de Krapina ratione decimarum.

1494. Plebanus de Crapina habet conposicionem cum dominis de capitulo zagrabiensi, nam solvit decem marcas nigrorum Viennensium omni anno in festo Circumcisionis domini, aut earum valorem cum moneta pro tempore currenti. Marca autem facit quinque pensas viennensium nigrorum.

Nunc computando ad monetam regalem facit fl. VII$\frac{1}{2}$[1]. et octavam partem unius fl. hoc est sol(idos) XII$\frac{1}{2}$.

Preposito quarta, lectori vigesima, et dupla cedit cum custode et cantore.

Quarta facit fl. 1. et LXXX VIII. sol.

Vigesima vero XXVIII sol. et duos viennenses, ac unus obulus viennensis.

LXX. 1494. 30. decembris. Quod dupplarii de pecunia decimali integram dupplam habeant.

Die penultima anni 1494 capitulariter conclusum est: quod domini duplarii de pecunia decimali suprascripta, in ea parte, in quanta ad divisionem venerit, de cetero integram duplam habeant. Michael prepositus m. p.

LXXI. 1495. 3. februarii. Domus quaedam cum fundo in Novaves annectitur per capitulares arae b. Pauli in ecclesia cathedrali fundatae.

1495. Feria tercia in festo beati Blasii martiris, domini capitulariter congregati, domum cum fundo, quam alias condam dominus Jacobus archidiaconus goricensis in Nova villa fundaverat ad aram sancti Bernardi, deinde condam magister Georgius de Mylethincz canonicus zagrabiensis penitus desolatam iterum de novo erexerat, quia iam iterum ruinam minabatur, neque aliquis presbiter ad eam gubernandam haberi potuit, ideo eandem domum cum fundo ad aram beati Pauli apostoli in ecclesia zagrabiensi fundatam, iidem domini annexerunt perpetue; loco cuius domus et fundi e converso dominus Johannes archidiaconus goricensis eiusdem are gubernator modernus, duo civilia in eadem Nova villa habita, ad dictam aram sancti Pauli pertinencia per ipsos dominos libere vendenda remisit, et per modum concambii dedit, ita, ut precium ipsorum civilium ad usum dicte are sancti Bernardi convertatur, eius vineam, terras arabiles et fenilia cum omnibus aliis rebus et bonis ad eandem aram beati Bernardi pertinentibus, ipsi domini, ad prebendam domini Andree alias plebani, quam idem adiutorio certorum bonorum virorum de novo edificavit, adiunxerunt, ita tamen, quod ipse dominus Andreas prebendarius et successores sui in qualibet ebdo-

[1] Signum $\frac{1}{2}$ denotat $^1/_2$

mada in ecclesia kathedrali illam unam solitam missam perficere non negligant. Cuiusquidem misse onus idem dominus Andreas in se benevole assumpsit. Nichilominus volumus, ut idem dominus Andreas totum inventarium eiusdem are beati Bernardi, hic propria manu subscribat.

1502. Item illud unum civile superius descriptum versus molendinum magistri Fabiani, venditum fuit per condam dominum Johannem custodem ad mandatum dominorum flor. quatuor, qui tandem post mortem eiusdem ex commissione dominorum assignati sunt ad manus prefati domini Johannis archidiaconi goricensis, ut exponantur ad utilitatem prelibate are sancti Bernardi. Actum in festo beati Silvestri pape 1502.

LXXII. Saec. XV. Prebendarii quidam obligantur de non tenendis suspectis personis.

Nos Franciscus de Zekchew et Martinus de Obed zenth kerezth prebendarii obligamus nos, quod amodo et in antea quasdam suspectas personas in domibus nostris non tenebimus neque intrare admittemus, et quod portas retro domus nostras et infra hortos habitas, (sera) sed nec hakcko tenebimus sub pena privacionis beneficiorum nostrorum ipso facto. In vigilia assumpcionis Marie..... Idem qui supra, consensi m. p. et ego Martinus m. p.

LXXIII. Forma iuramenti, quam peragant prebendarii nominati.

Ego N. prebendarius chori ecclesie zagrabiensis, juro et promitto, quod ab hac hora et in antea fidelis ero beato regi Sthephano et huic alme ecclesie zagrabiensi et toti eius capitulo, quodque bona, vineas, domum et alias proprietates ad eandem prebendam quomodolibet de iure spectantes non dissipabo, non dilapidabo, neque alienabo sive distraham, ymmo dissipata, alienata, dilapidata et distracta pro posse recuperabo, consvetudines et sanctiones laudabiles approbatas et in eadem ecclesia prescriptas observabo, dominisque meis capitulo memorato et singulis personis eorum in omnibus licitis et honestis debitam obedientiam et reverenciam exhibabo, eciam si casus fuerit quo ea privari mererer ad mandatum eorumdem humiliter cedam. Ita me deus juvat et hec sancta dei ewangelia.

Quantum in nobis est ipsis prebendariis et aliis prebendatis in nostra ecclesia maiori, nostris subditis, indulgemus et concedimus, ut quilibet in ultimis constitutus si decedat cultura sue prebendalis vinee completa, vel suis expensis per eum ad hoc demissis complenda, valeat suum testamentum, quod fecerit de medietate fructuum, ut habetur in statutis cap. XLIV. de testamentis prebendariorum.

LXXIV. Juramentum officialium capituli pro tempore constituendorum.

Ego N. etc. officialis capituli ecclesie zagrabiensis pro hac vice de unanimi voto dominorum meorum electus et deputatus, repetendo juramentum in ante per me de fidelitate facienda prestitum, juro ad hec sancta dei ewangelia, quod in hoc officiolatu meo, omnia onera eidem concernencia et michi imposita et per me assumpta fideliter et acurate dirrigam, nec in huiusmodi officio excedam, sed humiliter et devote comissis dominorum meorum obediam, et si casus dederit, pro quo merito corrigi aut deponi de dicto officiolatu mererer, ipsum gratuite sine omni rebellione suscipiam. Ita me deus adiuvet et hec sancta dei ewangelia.